PANATHENAIKOS.

Archaeologicum librum

pro

summis in philosophia honoribus accipiendis

inauguralem

secunda philosophorum Ordinis voluntate
in academia Philippina

edidit

CAROLUS HOFFMANN,
Hassus.

Casellis,
sumtibus Joh. Ch. Kriegeri.
MDCCCXXXV.

Scriptor praefatur haec:

Res et inceptum se ipsum defendat. Ut vividior Panathenaeorum descriptio sit, equidem optaverim; sed intra fines, quos fontes haud abundantius manantes ponebant, tenendum mihi fuit. Utinam vero Bulverius aliquis existat, qui copioso ingenio expleat, quae temporis iniquitas tradere denegavit. Nam philosophetur quidem de rerum memoria, earumque cohaerentiam, vim ac potestatem exponat historicus; at singularum praeteritae aetatis rerum accurata et vivida descriptio haud scio an poetis et Romanensium fabularum scriptoribus sit reservanda. Benevole igitur accipiatis, quae offeruntur, certe perfectiori tractationi praeparatio erit.

Introductio.

I. *De atticis Minervae feriis.*

Graecae mythologiae est, unum non credere deum esse, omnium rerum creatorem gubernatoremque. Quadam suprema quidem lege universum mundum et naturae eventus et generis humani sortem regi et constitui Graeci opinati sunt, nunquam vero hanc virium omnium causam in unius dei formam retulerunt, sed tantum ut cogitationem perceperunt — metuendi fati cogitationem, quod obscurum esse neque intelligi posse videbatur.

Quo modo quum unitatem mentis tollerent dissolverentque illud vinculum, quod singulas ejus vires contrarias conjungat ad unamque et summam causam retrahat, tot iis dii exstiterunt, quos vitae formae, status, vires et in natura et in mente sunt. Nulla arbor vigebat, nullae naturae mutationes erant, nulli animi affectus, nullae hominum consociationes, nulli vitae eventus, nil omnino erat, quod singulis et peculiaribus diis effectum, constitutum, repraesentatum non videbatur; nil

non divinum erat, tot dii quot res. Quo efficiatur quidem, ut Graecorum deos innumerabiles fuisse putes; sed quum similium rerum eventus ad eandem causam referrent atque inter gravioris et levioris momenti res discernerent, multitudinem virium divinarum illam ad quandam deorum paucitatem redegerunt, etiam Olympicis diis a minoribus separatis — quanquam horum ipsorum deorum tam multiplices finxerunt formas, ut copia eorum iterum sit innumera.

Ita igitur quum omnia sint divina, singulus deus nullus vere divinus appellari potest; nec divina ejus mens, sed humana quaedam est effictio; quare quam vita varia est, tam varie deorum indoles ac natura effingitur.

Ut vero ex solis humanis rebus deorum notiones profluxerint, ac humanae vitae eorum natura accuratissime respondeat, in iis diis, qui eximie a singulis populis colebantur, inprimis perspicue videre licet. Qua de pauca hoc loco praemittam, quum de Atticae Minervae feriis scribere aggrediar.

Quanquam enim nulla gens graeca est, in qua plurium deorum cultus non inveniatur, unum tamen quaevis prae aliis coluit, qui ingenio ipsius moribusque maxime conveniebat, omninoque mentem ipsius ac naturam exprimebat. Ejus forma, attri-

buta; res gestae atque feriae pro populi indole excogitatae et excultae sunt. Atque ut Arcades montanum Pana, mercatores Corinthii Venerem, vetustiores Mycenarum Argorumque incolae Junonem matrem severum Apollinem Spartani potissimum coluerunt, ita Atheniensium Minerva dea patria ac tutelaris fuit et quantum inter Graecos Athenienses primum culturae locum obtinent, eodem modo eorum dea omnium nobilissima est [1]) nec mortale quicquam fere admixtum habet aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur. Jovis filia est, ex ipso capite nata, et mentem, patris meliorem partem sibi, reservavit.

Caveas tamen, ne hanc Atheniensium tutelarem deam aliam esse, quam Olympicam Minervam, qualis ab Homero exhibeatur, putes, aut ab Olympicorum deorum societate sepones. Natura utriusque eadem est. Contra quod Atheniensium veneratissima dea sit ejusque natura populi ingenio tanto opere respondeat, inter Olympicorum deorum numerum eam non deesse necesse est.

Nam de relatione, qua singuli dii cum universo Deorum circulo conjuncti sint, quum recte judicare vis, perscrutare, ob quam causam Graeci plures deos esse statuerint. Graeci enim ingenii est, ut omnes facultates, quae sint in singulis

hominibus, excolantur, neque ulla indoles imperfecta relinquatur. Quo fieri non potuit quin quodcunque agerent, divina etiam emanare origine atque omnes ingenii facultates dii esse aut certe a peculiaribus diis insitae esse et repraesentatae viderentur. Quare quum unus deus non universam mentem, sed quasi singulam tantum ejus partem repraesentaret, semper universus hic deorum complexus et conjunctio consideranda est, si de divinis rebus, quales apud Graecos fuerint, dijudicare vis. Unus deus a ceteris divulsus et per se spectatus, amplius vix nominandus est deus. Nec ullam Graecam gentem cogitari potest ullo tempore deorum unum tantum veneratam esse, sed totam eorum multitudinem coluerunt omnes et unumquemque hac societate conjunctum cum ceteris existimaverunt.

Ut vero in uno homine nunquam omnes excoli facultates, sed has negligi, alias adaugeri videmus, ita Graeciae populi pro sua quisque ingenii indole alium alius deum magis veneratus est. Nam eo quoque haec subjectivitas — quam philosophi dicunt — Graeci ingenii spectatur, quod singulae gentes tam varia tam multiplici natura ac facultate ornatae sunt ideoque sui ac proprii dei colendi studio tinentur. Et factum ita est, ut

iidem dii, qui cum necessitate quadam tantum in universitate illa vere vivant, simul singularum gentium dii praecipui et patrii proprii sint. Neque mirum ob hanc rem te habebit, in levioribus rebus ad sacra aut solennia aut fabulas de diis traditas pertinentibus multo saepe reperiri, quae populo alicui singularia sint.

Minervae autem naturam facilius intelliges, si cum Spartano Apolline confertur. Nam hi duo dii, ut (horum) illustrissimorum tutelares populorum sunt, ita et ipsi omnium deorum generosissimi, excelsissimi, purissimi sunt, — utriusque castitas praedicatur — atque eadem, qua populi contraria natura sibi oppositi sunt.

Humanitas nobilior illa atque altior sui conscientia, qua singulorum hominum tanto opere pretium augetur, qua sola liberior reipublicae status, pulcriores artis formae profundiorque philosophia emanare potest et qua ipsi Graeci a prima inde memoria fuerunt insignes natura quidem utriusque dei intima et praecipua est. Verum animo humano quum in universum duae sint facultates innatae altera cogitandi, inveniendi, conjiciendi, altera cupiendi et agendi, pro Graeci cultus indole necesse est duo dii sint, quibus humanitas illa ad utramque rationem repraesentetur. Itaque Minervae

naturam videmus mente magis circumscribi, Apollinis voluntate. Orci partus, qui homines exstinguere atque vitam pervertere conantur, injustitiae ac sceleris imagines, superat Apollo, ex Admeti — Plutonis — servitio feliciter liberatus deus; Minerva Terrae tantum filios devincit, naturalem illam inscitiam mentisque caliginem, qua primi homines, bestiis haud absimiles — Troglodytae — ad altiorem culturae gradum procedere vetabantur. Apollo hominum vitam puram reddit moresque; et in res quascunque agant omnemque eorum societatem infert ordinem, salutem, harmoniam. Apollinis expiationibus malefici a criminibus liberantur hominumque conventui et rectiori vitae restituuntur; oraculorum vaticinatione rebus futuris prospicit; praesentem vitam musagetes deus citharae leniente voce ad laetam placatamque quietem et beatitudinem temperat. — Contra Minerva expolit vitam jucundioremque reddit ingenii voluptatibus. Artes cunctas homines docet nec melius coli potest, quam ipsis artibus exercendis. Ergane omnibus muliebribus feminas instituit operibus, texendi, suendi, acu pingendi, immo se ornandi; instrumenta tam musica, quam ad rem familiarem et agriculturam pertinentia (aratrum, currum etc.) invenit, et primam in Attica olivam plantavit. Artificia

lignaria, lanceae fabricatio, tornatoris ars in primisque navalis architectura ab ea reperta est et generatim omnes eam opifices tanquam tutelarem deam coluerunt. Primam quoque in Attica olivam plantavit Minerva. Nec minus liberaliorum artium haec dea adjutrix fuit et pictoribus, statuariis, poetis oratoribusque artificiorum designationes inspiravit. Ipsum bellum artificiose geri sola Minerva opitulante potuit. In quibusque vitae conditionibus optima consilia hominibus administrat et quicunque ad eam de honesta re precationem fidenti animo convertit, non deseritur. Benignissima enim hominumque amicissima dea est. Universam vitam munit, custodit, conservat, ac tanta salutiferae comisque deae confidentia est, ut a plerisque Graecis *πολιὰς* sive *πολιοῦχος* tanquam civitatis patrona coleretur.

Utrumque igitur fere omnium deorum excelsissimum ingenioque esse plenissimum videmus. Sed quanquam ad altiorem naturam tam cognati inter se et arctiore vinculo conjuncti esse videantur, tamen nulli dii sunt, qui magis invicem oppositi quorumque cultus diligentius fuerit separatus. Jam apud Homerum Apollo a Trojanorum partibus, a Graecorum stat Minerva; bellicosum Hectorem ille, haec callidum Ulixem tuetur. Et

quamvis uterque apud Jovem in clarissima coeli regione habitet et per aestatis serenum tempus feriae utrique sanctissimae agantur, tamen communia sacra — id quod aliis diis tam saepe solet fieri — iis nusquam fere celebrata sunt. Nam natura eorum, quanquam non inimica sibi, nimis tamen aliena est. Eandam quidem veritatem, eandam sanctitatem, idem jus potestatemque habent, sed pro maximo illo animi facultatem discrimine — voluntatem atque mentem dico — inter se divisi sunt. Quod enim agimus Apollo adjuvat; quod scimus facimusque, Minervae debemus.

Jam vero his expositis Apollinis naturam maxime respondere videmus severo Spartanorum ingenio, qui res humanas altiori quodam ordine et unitate perfundendas quietemque et harmoniam supremam esse vitae legem existimarunt. Minerva autem dea vere Attica est. Quod enim numen cogitari potest, cujus universa natura indolesque Atheniensibus magis sit accommodata, quam Minervae — sive eorum respicis docilitatem et sciendi discendique cupiditatem sive artium omnium culturam sive illud non tam popularis ingenii formandi, quam singulorum quorumvis se suasque cunctas vires excolendi studium. Qua re quomodo factum sit, concipi potest, ut inter omnes deos ab

Atheniensibus praecipue Minerva coleretur. Ei enim creberrima et sanctissima sacrificia facta sunt. Nec utilius quidquam pertractandum suscipere non potuisse mihi videor, quam ut feriarum maximarum, quae elegantissimae deae gens Graeciae ingeniosissima celebraverit, Panathenaeorum sacra et caerimonias et cum natura deae cohaerentiam accuratius quam usque eo factum sit, explanem.

Dixi praeter Panathenaea alia quoque Minervae sacra ab Atheniensibus celebrata esse, quorum descriptionem hic praemittam. — Praemoneo autem, si in his nonnullae caerimoniae reperiantur, quibus Minerva ut naturae dea colatur et quae ob hanc rem almae deae minus accommodatae videantur, id non mirandum esse. In universum enim tenendum est, quum omnium antiquorum deorum indolem non ex sola mente profluere, tum quoad gentis alicujus (ut Atheniensium Minerva) populares sint, ad naturam quadam ratione pertinere, ita ut vim quandam in naturam et anni temporum mutationem exserere aut ipsi affici ab ea videantur. Sane quum Graeci vitae genus nondum tale, quod e mero ingenio proficiscitur, sibi adnitendum proposuerint, sed naturae sensuumque vinculis obstricti manserint, etiam dii eorum naturali,

quae insita est hominibus, infirmitati non renuntiaverunt, sed quippe humanum corpus humanosque sensus habentes naturae vita eodem, quo homines, pacto imprimuntur. Quibusdam floribus aut bestiis et iisdem ipsorum sacris laetantur, in certis regionibus hilariores commemorantur; in primis autem pro anni temporum varietate modo quasi vividius vivere, modo moestiores esse et tanquam dormitare videntur; eo autem anni tempore, quod iis jucundum est, non laetitia solum affici, sed id ipsi afferre cogitantur. Si Athenis, qualis haec res fuerit contemplaris, sibi oppositi quodammodo sunt Minerva atque terrestres seu Chthonii, qui vocantur, dii (Bacchus, Proserpina etc.). Nam quum per Chthonios deos in universum vitae vires sensuumque varietas, laetitia et dolor, beatitudo et maestitia, eaque rerum permutatio, qua ex vita ad mortem, e morte ad vitam omnia perducantur, repraesentatur, anni temporum vicissitudo visa est huic indoli consentanea ipsique auctumno una cum fronde caduca emorientibusque floribus vitam exspirare, per hiemis spatium apud Inferos commorari ac lugere, vere autem floribus se aperientibus, avibus denuo canentibus et cuculo cuculante expergefieri adque novam laetitiam renasci cogitati sunt. Aestatis vero quies atque

claritas, pulcri et sereni coeli perpetuitas tempestatibus rarissime tantum perturbata, totius naturae aequitas et externa quidem specie solis radiis effecta inertia et tanquam institio, sed internus motus laboriosaque sedulitas, quae ejusdem solis calore excitata arborum fructus excolit maturatque, — nonne omnia pulcherrime respondent quieto serenoque, at sollerti et actuoso Minervae ingenio? Quae cum natura affinitas accuratiore feriarum expositione clarior etiam fiet.

Verumtamen, quum ex mente Minervae naturam profluere viderimus, etiam ingenium in ea perpetuo Athenienses senserunt altius naturali illa significatione superiusque esse, hanc vero nisi solam accessionem quandam non apparere. Inde factum est, ut naturalem partem a dea ipsa resolverent imponerentque tribus nymphis, Cecropis popularis herois filiabus, Aglauro, Pandroso et Hersae, quae deae comites esse fingerentur. Quam hae intime tamen cum illa sint conjunctae ejusque tanquam appendicem solam efficere videantur, jam inde licet conjicere, quod nonnulla iis sollemnia cum Minerva communia agitabantur eaque ipsa Aglauri cognomine coli solebat. [2]) His tribus nymphis, caloris et fecundantis roris deabus etiam frater adjungitur, Erechtheus sive Erichthonius (ab ἐρι

et χθών) terrae deus primarumque et publicarum et domesticarum institutionum, Minerva docente, auctor, quem — terram scilicet — illae nutriendum educandumque acceperunt. [3])

Progrediamur ad singulorum, qui Minervae agitabantur, dierum festorum enarrationem.

Per auctumni tempus iis, quae diximus, nullas Minervae ferias agi consentaneum est. Etiam una tantum in fastis reperiuntur *Χαλκεῖα*, Pyanepsionis ultimo die celebrata; quae antiquae feriae Minervae cum Vulcano, cui potissimum erant dedicatae, communes fuerunt. Nam inter utrumque deum necessitudo quaedam intercedit, quippe quum ingeniosiorum artium antistes Minerva, Vulcanus opificum fuerit. Hanc ob rem festus dies ab opificibus in primisque fabris ferrariis celebratus est, et quum Urbs antiquo tempore ab opificibus potissimum habitata esse videatur, omni populo ad agendum eum conveniente, πάνδημος appellatus. [4]) Rediitque hac solemnitate in memoriam, primos Athenienses, a Vulcano institutos, aes fabricatos esse ipsumque deum in eorum terra laborare solere. [5]) Ad Minervam vero pertinuit, ipsius sacerdotes cum Arrephoris hoc die peplum Panathenaicum texere incipere, de qua re tamen postea disseramus. [6])

Deinde hiberno atque verno tempore per quinque fere menses nullae Minervae feriae agitatae sunt, si una forte ineunte vere excipias προχαριστήρια, quibus omnes magistratus solemne sacrum faciebant, ut praevias maturandarum ab ea frugum gratias acturi. Nam nisi id sacrum rectius fortasse Proserpinae vindicandum est. [7]) Minervam quam aestivi quoque caloris esse deam vidimus, jam eo veris tempore, quo primi solis calidiores radii sentiantur, ut bonum fructibus afferat incrementum, invocatam esse cogitari potest.

Inde a Thargelione mense (Majo — Junio) Minervales feriae crebriores evadunt. Jam in ipsum Thargelionem duae incidunt, *Καλλυντήρια* decimo nono mensis atque vigesimo quinto die *πλυντήρια*. [8]) His potissimum atque iis festis diebus, qui Aglauro et Pandroso proprie agebantur, naturalem illam Minervae significationem cognoscere licet.

Conjungendi autem hi duo festi dies quodam modo esse et cohaerere videntur, [9]) quum alter laetitiae alter lugendo destinatus sit, ut in Thesmophoriis et Antestheriis simile aliquid reperimus. Nam auctumnalibus Thesmophoriis deflorescentem naturam Persephonemque a Plutone raptam luxerunt; finita est autem solennitas hilariore *καλλιγενείας*

cultu, qua re spes continebatur fore ut hiemalis natura tristibus suis vinculis solveretur inque ver novum effloresceret. Vernis Antestheriis vero, quae ob Proserpinae — florentis naturae — ab Inferis felicem reditum celebrantur, unus tamen dies (χοαὶ) lucubrationibus Inferisque dicatus est, quasi homines calamitatem quam hiemis tempore pertulerint, sint nondum obliti, admonitique inconstantis humanarum rerum sortis simplici se tradere et cumulato gaudio vererentur.

Haud aliter Kallynteria laetus dies festus est propter aestatis reditum, quo Aglauri (h. e. Minervae, quoad aestatis tempus repraesentat) statua ornabatur a sacerdotibus splendidaque reddebatur. [10])

Plynteria autem lugubris dies est, et inter maxime atros dies recensetur, per quem nemo Athenis severius suscipere negotium audebat. Et quondam quum Alcibiades de exilio hoc die reductus esset, omni id civitati mali ominis visum est. [11]) Ut penitus tamen hujus sollemnitatis significatio intelligatur, fabulae de Agraulo traditae, ad quam et ipsam maxime pertineat, explicentur necesse est. —

Agraulos [12]) sive Aglauros Minervam, quantum naturae dea atque aestates tempori praeposita sit, [13]) repraesentat. Inter sorores honoratissima

est; quam ob rem Athenienses per eam jurabant, [14]) et in primis juvenes, postquam pueriles annos excesserant, armis acceptis se pro patria ad mortem usque pugnaturos esse in ejus luco spondebant; [15]) atque proprium ei sacrum (*ἱερὸν* sive *ἱερὸν τέμενος*) sub septentrionali arcis parte dedicatum fuit. [16]) Huic Agraulo ejusque sororibus, Hersae et Pandroso Minerva fratrem eorum, Erichthonium sive Erechtheum [17]) cistula inclusum commendasse dicitur neve hanc aperirent, vetuisse. Sed Agraulos et Hersa, curiosae admodum, cistam non scrutari non possunt, advolutumque circa puerum draconem vident. Quo ipso adspectu sive per iratam Minervam, cui cornix rem adnuntiabat, in furorem actae de arcis proruptissima parte aut ut alii tradunt, in mare se praecipitarunt. [18]) Una Pandrosus, utpote quae obtemperavit Minervae jussui, servata est.

Quid haec fabula sibi vult et quo nexu cum illis feriis juncta est? — Erichthonius — ut jam nominis etymologia indicat — terrae ejusdemque frugiferae [19]) deus est. Hanc ob rem serpentis specie aut certe *δρακοντόπους* cogitatus est, quumque humanior aetas talem formam respueret, tamen in Erechthei fano *οἰκουρὸς ὄφις*, urbis custos servatorque populi, inesse traditus, cui quovis mense

placentae mellitae apponebantur. [20] Serpens autem veteribus naturae perpetuo se renovantis atque fecundae symbolum fuit. [21] Secundum antiquiorem mythi formam a Vulcano et Minerva esse procreatus videtur; [21a] sed ut virginitas deae servaretur, tunc terram ejus loco, in quam Minerva semen, a deperiente Vulcano in ejus femen sparsum projicisset, [22] tunc solam Atthidem [23] tum Cecropem, [24] regionis Atticae heroem supposuerunt, aut deam Minervam in reginam Atticam, Cranai vel Bronteae (h. e. tonitru aestate potissimum apparentis) filiam detorserunt. [25]

Hunc igitur terrae deum dilectissimum [26] Minerva sororibus tradit, nimirum ut rore terram fecundent atque calore gemmas plantarum maturent. Sed vixdum arbores aureis fructibus splendere (ornatae) videntur, quum jam hiems appropinquat frugesque delabuntur, et tam breve aestatis tempus est, ut Agraulidis sororibus facete inventa sit fabula, ut ne viderent quidem id terrae decus, permissum esse. Aestate autem, qua delectentur sola, praeterita annon ipsae mori videantur? annon ad furorem redigantur, si quod tanto opere tamque sedulo procreaverunt, deleri potentiore vi et evanescere cernunt. Minervae autem — nam hanc et illas in fabula variare vices mirum amplius

non erit — Agrauli mortem lugentis vestis non lavantur usque ad novae aestatis adventum, quo Aglaurus illam denuo exornat. [27])

Apparet igitur his fabulis, quam affinem cum natura Minerva — Aglauros cohaerentiam habeat. Jam vero singulas Plynteriorum sollemnitates quibus idem videre licet, persequamur.

Hoc die, quem lugubrem esse potissimum teneamus, cum dea homines tristes esse videntur, quod a sereno anni tempore tam diu interclusi fuerint, quasi acerbitatum hiemis injucunditatumque semel etiam nunc revocaturi memoriam, ejusque impuritate se atque insuavitate lustraturi, ut se lautiores laetioresque pulchrae aestatis amoenitati committant. At omnino Graeci, si naturam ejusque commutationes contemplari aggrediuntur, verecundiae cujusdam et pavoris non sunt expertes. Nam dii, quorum ex humano ingenio indoles proficiscitur, ut homines, supra naturam et ipsi non sunt elati. Ideo in naturae vita potentiorem quandam et absconditam sibi videntur divinitatem cognoscere, cujus vim nisi mysticis averti posse arcanisque ritibus opinantur. Quo factum est, ut praecipua sanctitas omnibus ejus generis solennitatibus tribueretur neque earum quicquam omittere aliterve agere quam summa cum caerimonia et ut antiquitus

traditum esset, religiosum haberetur. Quam ob ipsam causam, quum hujus diei ritus arcani plebique velandi esse viderentur, funibus circumditum Minervae Poliadis templum et obseptum est. [28]) Nam, quaecunque ad naturalem deae significationem pertinebant, referta sunt ad Poliadis h. e. domesticae Atheniensium deae templum, in quo antiquum illud et de coelo delapsum Palladium oleaginum asservabatur. [29])

Deinde primo statuae ornatum exuerunt Praxiergidae, proprii ad hoc negotium destinati sacerdotes, [30]) velaveruntque eam totam, [31]) qua re Minervam indicaretur tanquam tristem etiamtunc obvolutam esse neque exhilarari posse, nisi numinum vi inimicorum liberaretur certis expiationibus; hunc diem vero simul finem moeroris ad sereniorémque vitam transitum esse. Quanta igitur caerimoniarum sanctitas, quibus dea ipsa quasi vitae suae restituatur.

Tum hae expiationis secutae sunt sollemnitates, a quibus dies nomen accepit. Festa enim pompa lignea Minervae statua et fortasse etiam vestes ad mare ductae sunt abluendae. [32]) Comitata eam est sacerdos Minervae Poliadis, quae ex Eteobutadarum gente esse debebat, Praxiergidae [33]) et Nomophylacum collegium, fasciis albis coronatorum. [34])

Marina autem aqua delutae sunt, quod ei potissimum vis inesse videbatur lustrandarum omnium rerum impurarum expurgandarumque, nam, ut Euripides ait, θάλασσα κλύζει πάντα ἀνθρώπων κακά. [35])

In principio pompae ferebatur massa ficorum, ἡγητορία (Suid.) aut ἡγτηρία (Hesycl.) dicta [36]) fici enim primae fruges aestivae sunt et priore fere Junii mensis parte, ergo sub ipso harum feriarum tempore primum maturescunt; ita ut auspicari aestatem et tanquam ducere (ἡγεῖσθαι, unde nomen ἡγητορία) antiquis viderentur. *) Sunt autem fici ut cicuris arboris, fruges Minervae sacrae, atque ut dea ipsa „Archegetis" homines prima mites fecit et mansuetos, autochthones primum ficubus esse nutritos credebatur, videbaturque is fructus hominibus dux esse placidioris vitae.

---

*) Etiam hodie Neapoli gestus, quem salutantes faciunt, „fica" aut „mano in fica" nominatur. Conferas praestantissimum librum, sed in Germania minus aequo notum, qui inscriptus est: La Mimica degli antichi investigata nel gestire napoletano del Canonico Andrea de Jorio. Napoli della stamperia e cartiera del fibreno Largo S. Domenico Maggiore Nro. 3. 1832. pag. 155. Utinam vir doctus aliquis eum in Germanicum sermonem conversum inter nos magis divulget.

Athenis autem proprius locus erat, Ἱερὰ συκῆ dictus, in quo primae olim ficus creverint, et ex arboribus postea quoque ibi cultis hegetoria sumebatur. [37])

Finita autem sollemnitas est orgiis mysteriisque, quae Agraulo [38]) agebantur in horrifico luco sub arcis septentrionali parte sito et ab excelsis Pelasgici muri rupibus obumbrato. Bis vere quovis anno haec Agrauli mysteria fiunt, Plynteriis aestate incipiente, atque exeunte Aglauriis. [39]) Etiam hic dies festus, tetricus in primis et tristis est, nam illo tempore Agraulidae sorores, posteaquam Erechthonium anguineum viderunt, furibundae se morti commiserunt; ac placida aestas, quam in aeternum continuari nequicquam cupierunt, et quam ut retineat, ipsa Minerva invalidior sit, superata ab inamoena hieme aufugit. Nec verisimile non est, antiquiore aetate adeo homines, ut Agraulidarum mortem repraesentantes immolatos esse; id quod aqud Cypros certe Salamine urbe factum esse diserte traditur. [40])

Sed quae est horum omnium mysteriorum vis atque consilium? — Supra jam diximus, Graecorum deos quamvis puri sint atque excelsi, tamen vitae solam partem exprimere, totam vero divinitatis notionem explere non potuisse. Atque verissime Wolfg. Menzel in libro: Geist der

Weltgeschichte, Stuttg. 1835, pag. 149, de Graecis dicit: „Sie kehrten die heitere Seite des Daseins hervor, sie bewegten sich auf der Oberfläche der Dinge mit einer Grazie und Fröhlichkeit, in der zum ersten Male der ganze Reiz des irdischen Lebens aufblühte; in diesem Volke lächelte der Genius der Menschheit zum ersten Male ganz frei und sorgenlos, und das Reich der Scherze und des Witzes that sich den erstaunten Erdenkindern auf, und ein unzählbares Heer jubelnder und neckender Geister zog im Gefolge des weinumkränzten Bacchus mit jeder griechischen Colonie zu den finsterblickenden Barbaren, und Amor verführte die alten Götter, dass der höchste selbst vom Himmel stieg, das lustige Erdenleben mitzumachen; — aber all dieser selige Leichtsinn war nur ein vergänglicher Rausch, über den die Griechen den tiefen Ernst des Lebens vergassen." — Haec vero vitae severitas nec missa fieri nec negligi ab hominibus potest. Nam etsi aliquandiu opprimatur et gaudio voluptatique cedat, tamen alio tempore redit, et tantam in humanam mentem potestatem exserit, ut homines quasi omnia, quae deliquerint in illa, refecturi maximae se maestitiae tradant et angore conscientiae ac sollicitudine agitentur. Tali autem animi affectu quis

non intelligit mysticum cultum, quo mens quasi sopitur, evocari necesse esse. Ipsi dii hujus sensuum vicissitudinis non sunt; nonne sunt enim ipsius vitae quasi solae immagines.

Deos ipsi fecerunt humanamque iis naturam vulgari aliquantum praestantiorem tribuerunt. Veram autem naturam divinam ignorant, etiamsi praesagiunt. Quasi stellis quae ex nocte, aliis aliae fulgentiores exsurgunt, Graecorum dii comparandi sunt; nox vero, innota illa et praesensa tantum vis superior, manet. Ea infirmitas deorum et inanitas horrendi aliquid in se habet, metu animum atque terrore percutiens. Contra naturam quum inexploratis legibus regi ac moveri sentiant, quibus et ipsi et dii sint subjecti, dei superioris in ea praesentiam cognoscere sibi videntur ideoque, si vicissitudinibus naturae variorumque temporum permutatione gravius admonentur, arcano modo mysteriis orgiisque placare illum ejusque iram deprecari conantur. Nec ullam aliam igitur hic cultus causam habet, quam ut homo aliquod dominans per rerum intimam naturam supremum numen agnoscens, sibi satisfecisse credat, si reverentiam erga illud et pietatem declaraverit. Arcanum vero deum solo arcano modo posse coli in aperto est. Nec purior

putandus est iis reconditis cultibus, fabulisque contineri aut quae ab solis initiatis perspici potuerit; sed nihil aliud iis inest significaturque, quam ignorantia paganitatis et de satisfaciente plene ac beante cultu desperatio. Quicum convenit, in mysteriis fabulis quasdam de deorum infirmitatibus, calamitatibus, mortibus esse traditas. Ita Plyntioriis mysteriis haud absonum est antiquam illam de Minerva per Vulcanum compressa narrationem propagatam esse. Verumtamen negari non potest, etiam laetioris futuri temporis spem per mysteria datam hominibus esse. Ubinam enim res adversae sunt, ex quibus fore ut liberentur, non sperent homines? Sed interiore cognitione ea spes fulta fuisse nequit; nam quid causae sit, cur huic omni mysteriorum beanti traditioni veteres tantas tenebras et caliginem obduxerint.

Hi dies festi ut ad naturalem Minervae significationem pertineant, exposito, quod reliquum est, et facilius intelligetur et brevius pertractari potest.

Etiam Pandroso dies festus actus est — Pandrosia. Pandrosi natura hilarior est et placidior; terram irrorat, incrementum affert atque plantas segetemque laetam facit. Quomodo, quum

bona et laeta sint omnia, quae Pandrosos procreet, ipsa et sororibus excelsior, et Minervae naturae affinior esse visa est,[41] qua de causa ejus sacellum Poliadis templo adjunctum ac si Minervae bos, illi ovis — quod sacrum *ἐπίβοιον* nominabatur — immolari consuetum fuit. Sed etiam in Pandrosiis initiationes et mysteria acta sunt, unde naturalem deae indolem iterum vides.[42])

Sequuntur deinde Scirrophorione duo festi dies, qui similiter ac Kallynteria et Plynteria conjungendi sunt — Scira aut Scirophoria[43]) et Arrephoria duodecima illa,[44]) haec tertio decimo die.

Sciris, quae media aestate celebrabantur, pompa ab arce ad locum quendam in via Eleusinia situm cui *Σκίρος* nomen fuit, ducta est. In qua umbellam, *σκίρον*,[45]) tulerunt Minervae Poleadis antistita et Neptuni Erechthei sacerdos, uterque ex Eteobutadarum gente, comite Solis sacerdote. Referenda est igitur haec sollemnitas ad solariam Minervae naturam, quare solis quoque sacerdos ei interest; nam aestatis calore terram exsiccare videbatur. Solum vero illius Sciri loci videtur ex alba[46]) quadam terra (*γῆ σκιῤῥὰς*) et gipso haud absimili constitisse, qua et ipsa tanquam aretudinis symbolo oblinebant Minervae Sciradis statuam (cujus templum

sive

sive in hoc ipso loco situm sive illud a Pausan. et Hesycl. s. v. ὠσχορόριον in Piraeo memoratum fuit. [47]) Cum lepore igitur quodam ac festivitate umbram ad hunc aridum locum tulerunt, quasi terram a solis radiis tuituri ac deam, ut illius vim noxiam averteret, precaturi. Quae hilaris sollemnitatis indoles cernitur etiam ex annominatione, qua verba σκίρον (umbellam) et σκίρος (humus arida) jocantes permutant [48]).

Deinde sequenti, ut videtur, die [49]) Arrephoria [50]) celebrata sunt. Ut laetus ille, hic tristis dies est; ut illius ritus aperti, ita arcani hujus sunt. Nam quum illo die, quam injucundi hominibus plantisque et moelesti sint solis radii, festivo modo exprimebant, hoc die secreta sollemnitate ejus vim avertere a deaque pluviam aut rorem (qui in meridionalibus Europae regionibus vice rariorum pluviarum fungitur) exorare volunt. Praefuerunt huic sollemnitati virgines quatuor nobiliore gente oriundae, Arrephori aut Hersiphori dictae, quae septimum annum egressae, sed minores decem essent necesse fuit [51]). De quibus Pausanias tradit I, 27. „Virgines duae non longe a Poliadis habitant; eas Athenienses Ἀῤῥηφόρους appellant. Hae certum tempus apud deam commorantur; deinde ubi festus dies advenit, per

noctem capite tollunt, quae illas Minervae sacerdos ferre jusserit, quum neque ipsa, quid ferendum det, neque virgines, quid ferant, sciant. Est in urbe septum quoddam, non longe a Veneris, quae in Hortis dicitur. Ibi in nativam specum quandam descendentes onus deponunt, et pro eo aliud item velatum et occultum tollunt; et hae quidem virgines in posterum ex eo tempore missae fiunt, sed pro illis capiuntur totidem aliae, quae in arcem adducantur." Quas virgines Athenienses in Hersae honorem pompa comitabantur. [52]) Fortasse in sportulas, quas reportabánt, rami irrorati erant impositi, ita ut quasi calorem per noctem afferre et in spelunca illa sub terram condere, deinde vero ex hortis Veneris, quae plantarum luxurianti incremento praeesset, reportare rorem — ἔρσην φέρειν — viderentur. [53])

Hac sollemnitate absoluta est descriptio illius festorum dierum cycli, qui ad naturalem Minervae indolem referendi sunt. Atque ut hi in aestates principium potissimum aut finem incidunt, Minerva, quatenus ingenii dea est, medio ac constantiore aestivo tempore per Panathenaea colitur. Ad hanc vero maximam gravissimamque sollemnitatem quasi transitum facit interjectio festi diei, qui *Νικητήρια Ἀθηνᾶς* apellatur; et ob eam

ipsam causam in tempus inter Hersephoria ac Panathenaea interponendus videtur. Ut olim Minerva de Atticae regionis possessione certans Neptunum vicit ac proinde Athenas urbem suo ipsius nomine exornavit, ita quotannis hoc die in renovatam terrae possessionem restitui atque propria populi maximeque veneranda dea consalutari videbatur et quotannis pulchram quoque olivam dono dare, qua suorum certaminum victores coronarentur. [54])

Hecatombaeone denique inde a primo post solstitium plenilunio per dimidium fere mensem Panathenaea celebrata sunt. Eae maximae omnium, quae Athenis agebantur, feriae fuerunt [55]). Quis enim splendor earum atque magnificentia fuit necesse est, quum Athenae omnium Graeciae urbium ditissima atque actium feriarumque sollemniter agendarum amantissima fuerit — urbs praeclara, quae a poëtis antiquis *Ἑλλαδος ἔρεισμα* atque *Ἑλλαδος Ἕλλας* et ab ipso Delphico deo *ἑστία καὶ πρυτανεῖον τῶν Ἑλλήνων* praedicata sit [56]). Ipsis quatuor illis Graecorum ludis magnitudine sua, claritate et frequentia haud inferiores fuerunt [57]). Quae earum sanctitas autem fuerit, licet inde conjicere, quod lege jussum erat, ut Pentaeteridis

nomine nec meretrix, nec tibicina nec libertina aut serva vocaretur. [58])

Inter omnia Minervae sollemnia hoc festum id est, in quo excelsior deae natura splendidissime elucet. Colitur enim ut salvatrix humani generis, cujus vitam ingenio implevit multiplicibusque artibus exornavit. Quod Graeci pulcri et praeclari procreare, quod ars excelsum atque aures oculosque delectans fingere, quod animum efferre et supra quotidianas cogitationos tollere atque divino afflatu perfundere beareque poterat, per hos dies ad lucem prodiit, quasi pulcherrima sua dona hoc tempore dea hominibus porrigere videretur. Gymnicis enim musicisque ludis certaverunt artificiosi Athenienses. Nullum gymnasticae genus, nulla quadrigiorum ars defuit; hymni et carmina et quod tibiarum nervorumque cantus praestare poterat, auditum; sollemnes orationes recitatae et Homeri inclitorum carminum memoria repetita est; vespera denique lampadephoriae in lucidae deae honorem sunt habitae, quibus nox ipsa in diem converti videretur. Sed quod summum fuit, magnis Panathenaeis sollemnis illa pompa ducta est; qua quid praeclarius cogitari potest, et excelsius, quum omnes Athenienses, magistratus atque cives, pedites equitesque feste exornati ad Parthenonem

in arcem procederent, ita ut deae unum grande ac vivens artificium tota civitas exhibere videretur?

Ita arti potissimum, quae deae dilectissima occupatio est, Panathenaea dedicata sunt, et quod aliud celebrandi genus potest dignius esse populo, qui artis fuit tam amantissimus. Offerebantur deae, quae artifex quieto otio procreaverat, nec pulcriore hic donari praemio videbatur, quam quod ipsius operibus Virginis feriae illustrarentur exornarenturque. Ut Minerva ex Jovis capite, ita artificis procreationes ex intimo ingenio prodeunt. Ab altiore loco oriundae sunt, nec aliud quicquam sibi proponunt, quam ut gaudio oblectent, ingenii plenissimo. Nec aliter atque ars detrahit hominem a terrenis rebus daemonicisque feriantium animus ad altiora efferendus erat. Pulchri vero, quo spiritu Panathenaea celebrandae sint, innutum est candido vestimento, quo indutum esse per hos dies sollemniter sancitum erat.

Quo anni autem tempore hae feriae peragi aptius potuerunt, quam ipsa media aestate? Minerva virgo dea ingeniosa et quieta est, supra effrenatum cupiditatum ardorem, supra corporis voluptates elata; Titanum Terrae filiorum vim tenebricosam superavit; dolores, anxietates, moerores alieni ab ea sunt; nam serena tantum dea est, ingenii vera nata, in vitam inducta poesis.

At coelum nonne feriarum tempore clarissimum lucidissimumque est, deae sereno animo respondens? Ut Enceladum illa, ita hiemis horrorem rigoremque aestas pervicisse videtur. Aestivo tempore natura ad quietem quandam rediisse et postquam flores frugesque produxit, tamquam victrix tranquillam potestatis, qua tam varia tamque laetantia progenuit, sollemnitatem agitare videtur. Atque quum bellum coelum caesium nullis nubus obscuratur, per universam naturam summa quies et altissimum silentium fusum est, et arbor, quae crevit usque huc, fructibus excultis, rursus flaccescere incipit, hoc omnium rerum tanquam justitio nonne invitus homo quadam divina potestate adducitur, ut ad internum suum revertatur et quictae se rerum humanaeque sortis considerationi tradat. *) Quis vero animi habitus magis idoneus esse possit ad Minervam venerandam, quae et ipsa nil aliud nisi *νοῦς* est. [59])

---

*) Clodius, shading his eyes from the burning sky, was calculated the gains of the last week; and the Greek, leaning upon his hand and shrinking not from that sun — his nation's tutelary deity — with whose fluent light of poesy, and joy and love, his own veins were filled, gazed upon the broad expanse ect. Bulwer the last days of Pompeji. chap. II.

Hoc aestatis tempore Minerva adeo orta esse dicitur, ac Panathenaea ut dies ejus natalis festus celebrata esse videntur. [60])

Panathenaeorum vis autem atque pondus inde potissimum perspici potest, quod mensis quo agebantur, annum Atticum incepit. Plerumque enim mensem, in quem feriae dii in aliqua terra maxime venerati eaeque sacerrimae incidant, anni cardinem esse mihi videor observasse. Ita apud Eleenses quum summae feriae essent Olympici ludi Jovi dicati, mensis, quo hi edebantur, Attico Hecatombaeoni respondens, anni initium fecit; apud Argivos vere annus incepit, quo tempore ille inter Jovem et Junonem, in Argolide veneratissimam deam *ἱερὸς γάμος* esse initus credebatur. [61]) Boeotici anni cardo fuit Bucatuis mensis a proximo post brumam novilunio incipiens, quo in Dionysii, a Boeotis tanto opere culti, honorem Trieterica agebantur et *ταυρῳ μύρφῳ* sive *βουγενεῖ* bovinum sacrum fiebat, unde mensis ipse nomen accepisse videtur; [62]) Cyprici autem anni Aphrodisius, qui, omnibus Cypricorum mensium nominibus postea mutatis, suum solus retinebat; et quis nescit, in Cypro ante alios deos Venerem esse cultum? Delphis denique Bysius primus mensis fuit, Attico Munychioni comparandus, quo *τοῦ θεοῦ πυν-*

θάνεσθαι solebant ludique Pythii agebantur. [63]) Nomae similem quoque ducamus causam adesse, cur Macedones Dio mensi, Corcyraei Artemitio [64]) Corinthii Panemo, et auctumnali tempore Spartani annum inceperint. Nec levis igitur momenti potest esse, ab Minervae potissimum mensi Atticorum annum principium capere. [65])

Quum vero Minerva Atheniensium propria et domestica [66]) dea esset, ejus feriae totius populi consociationem conciliationemque renovare perpetuo et restaurare, amorem patriae augere atque publici honoris et excellentiae et rerum a populo praeclare gestarum memoriam renovare et omnino ingenium nationi proprium servare Atheniensibus sunt visae. [67]) Ob eam politicam, quae Panathenaeis inest, significationem, iis conjunctus esse aut proxime praeiisse videtur dies festus, Theseo sacer, *Συνοίκια*, quibus memoria duodecim Atticae antiquorum populorum in unam urbem consociatorum repetiebatur — a qua demum re Panathenaea ipsa omnium Atheniensium sollemnitatis nomen accepisse dicuntur. Ejusdem rei causa non solum Atticae terrae omnes incolae sacris interfuerunt, sed coloniae quoque solemnes ad ea celebranda legationes miserunt. Ad hoc ex tota Graecia magnus hominum numerus confluxit; [68])

ita ut multitudinem feriantium et omnino totius sollemnitatis granditatem, magnificentiam ac majestatem haud facile vero majorem tibi cogitare possis.

II. De Panathenaeorum origine et tractu temporis amplificatione.

Panathenaea aut ut olim Harpocratione aliisque testibus dicta sunt, Athenaea a Graeco Minervae, cujus in honorem celebrabantur, nomine appellationem acceperunt. [69]) Sed Panathenaeorum nomen antiquius, quam vulgo accipitur, esse videtur; nam quum quatuor antiquae Atticae phylae praeter cetera quae iis sunt nomina etiam de diis, qui in unaquaque maxime colerentur, appellatae sint Dias, Athenais, Poseidonias et Hephaestias, et quum Pandia quoque ferias inveniamus, Panathenaea verisimile est eas antiquitus ferias fuisse, quas in Minervae honorem egerint omnis Athenais phylae incolae. [70])

Cunctorum autem, qui in Graecia agerentur, ludorum antiquissimum ait Aristides [71]) Panathenaicum fuisse. Propter eam antiquitatem sanctitatemque — si, quae de Erichthonio sunt disputata, memineris — haud mireris, quod primus ille in-

stituisse Panathenaea primamque quadrigae, quam et ipse invenerit, victoriam dicatur reportasse. [72])

Alia autem traditio est, Theseum Erechthidam [73]) duodecim Atticis populis in unam civitatem, coactis, in rei memoriam has ferias condidisse ideoque iis Panathenaeorum nomen dedisse. [74])

Thucydides [75]) vero sola Synoecia ob eam causam ab illo instituta ait. Utraque tamen sententia consociari potest, modo recorderis, quo intimo nexu Panathenaea et Synoecia conjuncta esse annunimus (cf. etiam infra). Invenit enim Theseus Panathenaea jam tunc celebrata, sed propter synoecismi rationem Synoecia adjunxit; Panathenaea autem publicum totius civitatis sollemne fecit; ita ut ab Thesei demum tempore politicam illam significationem et majorem splendorem claritatemque accepisse videantur. [76])

Deinde quomodo temporis tractu immutata sit Panathenaeorum celebratio atque perfecta, considerandum est. In universum has ferias, ut omnes, a tenuiore initio exiisse, sed tres illas res, quibus potissimum contineantur, — gymnicam exercitationem, chororum cantum, sollemne sacrificium, quocum postea magnifica ad arcem pompa fuerit conjuncta — dicendum est jam antiquitas exstitisse; postea autem, quum gymnastica perficeretur,

cantus musicaque excoleretur et universa vitae ratio et constitutio delicatior elegantiorque evaderet; jubente tempore, ritus, caerimonias et sollemnia aucta et amplificata et omnem feriarum apparatum sumptuosiorem ac splendidiorem esse factam.

Jam Homerus in navium catalogo (vs. 546 ect.) de Athenis loquens et de Minervae opimo templo, ait:

Ἐνθάδε μεν ταύροισι καὶ ἀρνειοῖς ἱλαονται
κοῦροι Ἀθηναίων, περιτελλομένων ἐνιαυτῶν,

nec tunc quoque deae ludos agitatos chorosque ductos esse dubitari potest, quum jam Deli incolae, ut Hymnus in Apollinem (vs. 149) tradit, hunc deum

πυγμαχίῃ τε καὶ ὀρχηθμῷ καὶ αἰοιδῇ
μνησάμενοι τέρπουσιν, ὅτ' ἂν στήσωνται ἀγῶνα. [77])

ac fortasse etiam equestria certamina sunt edita, quum Menestho, Atheniensium regi, haud alium mortalem Homerus (ibid.) dicat in regendis equis fuisse similem.

Haud minus vero Panathenaeorum antiquitas inde quoque apparet, quod postea Jonicae coloniae boves ad sacrificium Panathenaicum mittebant; qui mos, si, quam religiosa sacrarum rerum conservatio apud veteres et immutabilitas fuerit, consideras, ab ullo alio tempore, quam quo coloniae in Joniam deducebantur, originem trahere nequit.

Sed in obscuritate quadam manserunt Panathenaea nec in antiquioribus mythis unquam eorum mentio fit. Postea vero, ludis publicis magis in usum venientibus et Olympicis potissimum Pythiisque ab omni Graecia celebrari coeptis, Panathenaeorum quoque certamina ad illorum exemplar conformata et exculta clariora evasisse videntur. Neque nimis audere mihi videor, si Olymp. LIII, 3, Hippoclide archonte, a. Chr. 566, id factum esse conjicio. Ad quum annum Eusebius annotaverit haec: Ὁ τῶν Παναθηναίων γυμνικὸς αγὼν ἤχθη. Fortasse tunc primum proprium ludis stadium aedificatum, proprii atheothetae rite electi aliique apparatus facti sunt, ut ludi digniore modo atque ita, ut Olympiae jam consuetum esset, edi possent. Hinc vero quum fieri non posset, quin sumptuosiora impendia et omne sollemne auctius magnificentiusque evaderet, Olympiacos ludos eo etiam imitati esse videntur, quod hanc splendidiorem celebrationem solo quarto quoque anno prosequerentur. Quam ob rem ab illa demum Olympiade discrimen esse factum inter majora et minora Panathenaea puto. Nam, ne annuam sollemnitatem et sacrum tollerent, religione prohibiti tenuiorem tamen celebrationem minusque splendidam fecerunt. Magna autem Athenienses suo modo

exornarunt. Nam quum Thebani et Phoceenses Delphis Thespiisque musica magis certamina, Dorienses Olympiae sola gymnica ederent, Athenienses conjunxere utraque et pulcram inter corporis animique vires excolendas tenendam esse harmoniam existimarunt. [78]) Inprimis vero sollemnis ad arcem pompa proprio ingenio Atticoque more instituta est.

Hujus pompae Olymp. 66, 3, a. Chr. 514, prima mentio fit, quo anno Hipparchus ab Harmodio et Aristogitone interfectus est, quum extra urbem in Ceramico cum satellibus illam pompam adornaret. [79])

Attamen de mutationibus, quibus feriarum celebratio ad eam perfectionis magnificentiaeque gradum, quam Periclis tempore cernamus, adducta sit, nil fere a scriptoribus traditur, nisi ipsum Periclem, musices certamine quodam adjuncto, Odeum aedificasse et Platonis aetate Panathenaeorum quoque lampadedromiam equitibus peractam esse videri. [80])

Posteriore etiam aetate Panathenaea conservata sunt. Quam studiosi ludorum Graeci omnino fuerint, inde jam apparet, quod Isthmiorum celebratio, quae a Corinthiis administrabatur, urbe

eorum a Mummio devastata, non omitteretur, sed, donec restituta esset, Sicyoniis juberetur. Inscriptionibus ex Imperatorum tempore saepius Panathenaeorum mentio fit [81]) atque ipso quarto saeculo Himerius tam accuratam eorum narrationem exhibet, ut ad postremam usque paganitatis aetatem perdurasse merito concludamus.

III. Quo tempore Panathenaea et majora et minora acta sint. *)

De majoribus nihil dubium est. Nam quinto [82]) vel ut nos numeramus, quarto [83]) quovis anno, Olympiadis cujusque tertio [84]) celebrata sunt, Hecatombaeonis cmensis die, otava et vigesima (*τοῦ Ἑκατομβαιῶνος τρίτῃ ἀπίοντος* [85]).

Minora autem primo, secundo et quarto Olympiadis anno sunt agitata. Harpocration quidem tradit: *Διττὰ Παναθήναια ἤγετο Ἀθήνῃσι. Τὰ μὲν καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτόν. Τὰ δὲ διὰ πενταετηρίδος,*

---

*) Quum haec jam scripta essent, accepi benignitate Hermanni, viri doctissimi, Mülleri jam laudatam Commentationem et in Musei Cantabrigiensis Vol. II. inde a pag. 227 insertam, cui titulus „Quo anni tempore Panathenaea minora, *ΤΑ ΜΙΚΡΑ ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ* celebrata sint, et vehementer gavisus sum, quum nostras sententias convenire intelligerem.

ἃ καὶ μεγάλα, at minus accurate loquentem ita intelligas, tanquam si quarto quoque anno minorum loco sint majora celebrata. Nam rectum Anonymus in annos 71. allatus innuit, qui vocis τριετηρίς insolitiore significata esse usus videtur, nisi vero obiter tantum, ut videre licet, rem tangens trium Panathenaeorum minorum, quae qualibet Olympiade agebantur, numerum cum trieteride permutavit. Itaque Boeckhio assentior, qui in Corp. Inscr. pag. 1176 ad inscriptionem 76tam in qua Quaestores Aerarii Minervae rationes reddere ἐκ Παναθηναίων εἰς Παναθήναια jubentur: „Panathenaea, inquit, nec majora nec minora speciatim intellige, sed Panathenaea generatim, quae ter in quadriennio minora sunt, semel majora, nam annuae sunt rationes, de quo dubitari non potest.— Ἐκ Παναθηναίων ἐς Παναθήναια non potest aliud significare, quam ex quibusvis Panathenaea ad quaevis: quae quum quotannis redirent, si sola majora intelligerentur, necessario dicendum erat: ἐκ Παναθηναίων τῶν μεγάλων etc. ut perspiceretur, non numerari minora, quotannis redeuntia, sed praeteriri haec atque usque ad magna Panathenaea differri rationes.“ Atque duas omnino tam magnas tamque sumptuosas ferias uno anno eodemque mense (utrasque enim in Hecatombaeonem

incidere infra videbimus) non esse celebratas ipse intelliges.

De die, quo minora Panathenaea celebrarentur, minus constat. Proclus quidem in Comment. at Plat. Ampl. p. 19. *Ὅτε γὲ μὴν*, inquit, *τὰ Παναθήναια τοῖς Βενδιδείοις εἵπετο, λέγουσιν οἱ ὑπομνηματισταὶ καὶ Ἀριστοτέλης ὁ Ῥόδιος ἱστορεῖ τὰ μὲν ἐν Πειραιεῖ Βενδίδεια τῇ εἰκάδι τοῦ Θαργηλιῶνος ἐπιτελεῖσθαι, ἕπεσθαι δὲ τὰς περὶ τὴν Ἀθηνᾶν ἑορτάς* [86]). Quae quum ceteris testimoniis parum conveniant — nisi forte posteriore tempore feriarum diem transpositum esse statuis — jam Petitus Legg. Attic. p. 87 seq. ed. Wessel recte judicavit, Aristotelem Rhodium non a Panathenaeis sed a Plynteria et ipsis in Minervae honorem celebratis, Bendidea excipi dicentem a Proclo perperam intellectum esse. Est certe mirandum, quamvis ad commentatores Proclus tam forti lingua provocit, ne ex uno quidem subclariorem eum afferre probationem potuisse.

Plus juvat ad hanc rem enodandam locus orationis Demosthenicae in Timocratem pag. 708. Quem ut recte percipias, memineris, ad sanciendam apud Athenienses novam et antiquis contrariam legem (cf. pag. 706. 707) primo necesse fuisse, ut prytaniae primae die undecimo, quo anti-

qua lex primo abrogaretur, novam approbaret populus, simul quinque viris antiquae legi defendendae electis; deinde is, qui legem tulisset, eam in album transscriptam ante Eponymorum statuas, ut innotesceret omnibus, proponeret usque ad ultima trium hujus prytaniae comitiorum (*τὴν τελευταίαν τῶν τριῶν ἐκκλησιῶν*) h. e. ad finem fere Hecatombaeonis mensis. In quibus comitiis antiqua lege a quinque viris defensa, quum nova perferretur, Nomothetis tradita est, ipso die illo e juratorum numero sorte compositis, ut eam ratam juberent antiquarentve. Hac legitima via Timocrates quum legem, quam laturus esset, non posse intelligeret perferri, Epicratem subornavit, qui undecimo primae prytaniae die, auctor fieret hujus psephismatis: *ὅπως ἂν τὰ ἱερὰ θύηται καὶ ἡ διοίκησις ἱκανὴ γένηται, καὶ εἴ τινος ἐνδεῖ πρὸς τὰ Παναθήναια, διοικηδῇ, τοὺς πρυτάνεις τοὺς τῆς Πανδιονίδος καθίσαι νομοθέτας αὔριον.* (Hoc autem duodecimo die quum maxima pars populi agendis Croniis feriis, qui in eundem diem inciderent, a concione prohibita neque senatus coactus esset, Timocrates ad hos nomothetas tam temere conductos legem suam detulit, cujus rei causa in Demosthenica oratione *παρανόμων* accusatur. Jam vero quia Epicrates Panathenaeorum instantium

causa se psephisma suum ferre dicit (*τὴν διοίκησιν καὶ τὸ τῆς ἑορτῆς προστησάμενος κατεπεῖγον*), non immerito eas ferias eodem Hecatombaeone mense concluditur celebratas esse. Nam ne in sequentem ea mensem incidisse putes, impediunt verba pag. 709, 4 et 5, ubi Demosthenes dicit, apparatuum ad ferias necessarium — jam undecima die — nihil fuisse *ὑπόλοιπον, οὐδ᾽ ἀδιοίκητον οὐδέν*. Neque tamen vocem *κατεπεῖγον* urgeas, quod Corsinius fecit Fast. Hellen. II. pag. 358. ideo feriarum eorum celebrationem in diem XIV. imponendam esse censens. Neque enim rogatio Epicratis infertur, ut ipse ait Demosthenes, nisi *ἐπὶ τῇ τῶν Παναθηναίων προφάσει*. Nec ullam quoque rem, quam Panathenaea, commodius praetexere potuit, quorum sacrorum ne qui apparatus deessent, verentes Athenienses facile adduci religione potuerint, ut statim sequenti duodecimo die constitui nomothetas juberent. Nihil vides igitur impedimento esse, quo minus Panathenaea, si aliae impellant causae, in quemlibet posterum mensis diem incidere posse statuamus.

Ea vero, quae in Demosthenico loco dicantur, Panathenaea minora, non majora fuisse, inde patet, quod Dionysius Halic. in Epistola ad Ammalum, pag. 725 (121, 7. Sylb.), orationem tradit *ἐπὶ*

Θεοδήμῳ (*Εὐδήμῳ*) *τοῦ μετὰ Διότιμον ἄρχαντος* h. e. quarto Olymp. 106 anno scriptam esse. Clintonius quidem, qui Proclo patrocinatur, Demosthenici loci documentum infirmaturus opponit in Fast. Hell. Append. 19, 11. pag. 334 edit. II[dae] Oxon Although the cause of Timocrates came to hearing in the fourth year of that Olympiad, as we know from Dionysius, it does not follow that his law was proposed in Hecatombaeon of that year. The proceedings of Timocrates might belong to Hecatombaeon of the year proceding, the year of the Panathenaea magna. — The cause of the Crown was a *γραφὴ παρανόμων*, and therefore the indictment was laid within the year but the cause was not heard till eight years afterwards, and yet Ctesiphon till continued responsible. It is plain, then that Timocrates might be still responsible in the archonchip of Eudemus for a law proposed in the proceeding year, provided that the indictment had been laid within the limited time.

At ne ullo quidem modo ferri haec argumentatio potest. Primum enim neque apud veteres scriptores ullum testimonium, neque in oratione quicquam invenitur, quod conjecturam tueatur. Accusationis autem Ctesephontea quam comparat, alia

prorsus ratio est, nam ut ipse Aeschines advers. Ctesiphontem §. 227 ait τῆς μάχης (ad Coroneam) ἐπιγενομένης οὐκ ἐσχολάζομεν περὶ τὴν σὴν εἶναι τιμωρίαν, ἀλλ᾽ὑπὲρ τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως ἐπρεσβεύομεν. (cf. Clintonium Append. 20. p. 362.) Neque vero hujus generis ulla re impeditus est Diodorus (huic enim, Demosthenes Timocrateam scripsit), contra se acerbissimo in adversarium se flagrare odio dicit, [87]) quod nempe ad premendam causam, ut alia res nulla, eam incitaverit necesse est.

Verumtamen ne quid supersit dubitationis in hac re, qua summa de minorum Panathenaeorum tempore, quaestio vertatur, chronologicis subsidiis tempus, quo Epicrates rogationem tulerit, definire conabor.

Nam Timocratea lex in gratiam Androtionis, Glaucii et Melanopi lata est, qui, quum legati ad Mausolum Cariae satrapem missi essent, pecunias quasdam, quas reipublicae ex hoc itinere debebant (cf. Argumentum Timocrateae orat.) intra legitimum tempus non solverant. Causa autem, cur legati mittebantur, haec fuit. Haud multo ante annum 353 a. Chr. (quo Timocratea habetur) Artabanus, satrapa Persicus, seditione contra regem facta inde ab ultima belli socialis anno 353 usque ad annum certe 353, [88]) a Graecis adjutus est.

Quam rem vero Persae ulturi atque Mausolus Graecas insulas vexaverunt. [89]) Hanc ob causam Athenienses, quorum hae auxilium implorabant, ad Mausolum illos, quos dixi, legatos rerum repetundarum causa haud multo ante sub idem fere tempus miserunt, quam quum Demosthenes orationem *περὶ συμμοριῶν* habuerit. (Nam quum hac orationem Athenienses, ne bellum contra regem suscipiant, dehortetur, nihil verisimilius est, quam legatos a satrapa male exceptos nihil effecisse et ideo Athenienses bellum adversus regem jussuros fuisse.) Itaque legatio in annum 354, quo hæc *περὶ συμμοριῶν* oratio habita sit, inciderit necesse est. — Atqui teste Timocratea pag. 704—705 legati aliquot diebus ante XII Hecatombaeonis, quo Timocratea lex ferebatur, subornaverunt *κατὰ τὴν ἀγορὰν λογοποιοὺς, ὡς ἁπλῶ μὲν* (legati) *εἰσιν ἕτοιμοι τὰ χρήματα* (quae aerario deberent) *ἐκτίνειν, διπλᾶ δὲ, οὐ δυνήσονται.* Constat vero si in nonam prytaniam aerario debentes non solvissent, dupli condemnari esse solitos. Legati autem ex anno 354 debitores fuisse vidimus. Ideo et sermones istos circumforaneos et ipsam legem Timocrateam concludendum est in annum 353 sive Olymp. 106, 4. incidisse; et hanc ob rem accedente Dionysii diserto testimonio Panathenaea,

quae in hac lege dicantur, minora fuisse repetimus.

Alia quoque ratio, propter quam illa Hecatombaeone mense non Thargelione esse celebrata sumimus, ea est, quod Quaestores Aerarii Minervae et *Τάμιας τῆς διοικήσεως* solent *ἐκ Παναθηναίων ἐς Παναθήναια* (de qua dictione conf. supra) rationes reddere successoribusque tradere. Nam si Panathenaea sub finem anni in Thargelionem inciderent, successoribus novo demum civili anno munus adeuntibus, nemo fuisset, cui rationes reddi possent; contra Panathenaeorum et majorum et minorum tempus his rationibus reddendis ob eam ipsam causam dictum esse videtur, quod opportune in anni principium, in Hecatombaeonem incidebant.

Superest, ut etiam diem, quo minora Panathenaea agitarentur, accuratius definiamus. Qua in re magno opere adjuvamur Inscriptiones ex Olymp. 114, 4. (Corp. Inscr. Numeri 157 parte altera) in qua rationem dermatici referente Quaestore, dies festi hoc ordine referuntur: *θυσία τῇ Εἰρήνῃ, θυσία τῷ Ἄμμωνι, παναθήναια.* Panathenaea igitur quum post Pacis sacra recenseantur, etiam acta post ea esse veresimile est. Pacis autem sacra teste Scholiasta ad Aristoph. Pacem 1007

decimo sexto Hecatombaeonis die facta sunt. Itaque Panathenaea, quae certe eodem mense agitata esse viderimus, in tempus a sexto decimo die usque ad finem mensis inciderint oportet. Qua re confirmata, quae opportunior conjectura est, quam minores eodem die, quo majores ferias celebratas esse. Neque enim, cur in aliud tempus sint transferenda, cogitari ullo modo potest.

Adhuc de Himerii quodam loco pauca disseramus, qui et ipse Panathenaea in alium prorsus mensem constituit. In tertia enim oratione, quae *εἰς Βασίλειον, Παναθηναίοις, ἀρχομένου τοῦ ἔαρος* inscribitur, illa dicit eo anni tempore celebrata esse, quo lusciniae suaviter canant hirundinesque vernum attollant carmen, Ilissi fluenta opulenta sint, et Terra flavescente Cereris corona exornetur (cf. §. 3, 4, 5). Unde perspicue vides Himerii tempore (scribebatur autem oratio illa anno fere 360 p. Chr. [90]) Panathenaea Martii mensis Juliani fere dimidio esse celebrata. Addubitari id testimonium nullo modo potest, caveasque, ne forsitan Himerio, ut declamatori fidem deneges. Nam magnam vitae partem ipse Athenis, sophista publicus et tandem areopagitae fungens munere vixit, [91]), et tantum sub Constantio Christiano Imperatore in antiquos deos studium atque

caritatem prae se tulit [92]) (est enim ipsa cathedra et declamandi potestate ob hanc causam prohibitus (ut quae de rebus sacris tradat, non credere non possimus. Jam vero ut hanc diserepantiam levaret, Wernsdorfius pag. 429 Edit. Himer. annum Graecum eumque lunarem contendit ita mensibus intercalaribus perturbatam esse, ut facile Hecatombaeon posset in vernam tempestatem Maji aut Junii, quo frumenta in agris maturescant, incidere; praeterea ut Samuel. Petitum Miscellan. VIII. 6. pag. 214 autumet, Hecatombaeonem, utpote primum anni mensem, sub Imperatoribus Christianis Aprili nostra ac Paschali tempore respondere. Errat vero Wernsdorfius, et quae Petitus attulit, conjectata solum videntur; nam in Tabula atticorum mensium apud Stephan. Thesaur. Graec. Ling. col. 225 Hecatombaeon cum Septembri comparatur, quicum consentit, Epiphanium [93]) (qui post saeculi IV. dimidium, ergo eodem ipso tempore, quo Himerius, scripserit) octavum diem Novembris cum octavo metagitnionis et sextum Januarii cum sexto Maemacterionis, Septembrem igitur cum Hecatombaeone, non Majum aut Junium conferre. Accedit, quod jam in Virgiliana, ut fertur Ciri, quae certe Augusteae aetati vindicanda videtur — plerique autem Graeci etiam-

tunc

tunc metonis ideoque Athenienses eodem feriarum ordine utebantur [94]) verno tempore esse Panathenaea agitata mentio fit. [95]) Itaque non fasti mutati sunt, sed Panathenaeorum tempus. Videntur autem in Romanorum Quinquatruum tempus, quae a XIX. usque ad XXIII. Martii diem in ipsius Minervae honorem celebrabantur, esse translata. Causa quidem cur id factum sit, non potest afferri, sed si Hadriani aetate ab abjectis Atheniensibus in eum mensem, quo imperator mysteriis Eleusiniis initiaretur, anni initium translatum esse audimus [96]) non est, quod interior illius rei causa unquam inquiratur.

Per quot dies Panathenaea agitata sint.

Duobus antiquorum scriptorum locis Panathenaea per plures dies docemur celebrata esse, ideoque si unus tantum sollemnitatis dies et is quidem XXVIIIvus Hecatombaeonis mensis ab aliis indicatur, hic nisi primus ejus aut ultimus dies esse nequit. Verumtamen quod apud Athenienses nunquam ferias ex alio in alium mensem continuari videmus atque postremos etiam unius cujusque mensis dies nefasti sint inferisque sacri [97]) XXVIIIvus dies Panathenaeorum finis habendus, atque dies, per

quos duraverint, ab illo retro sunt numerandi. Sed in angustiis quibusdam versamur, in quem diem apponamus initium, quum ab omnibus scriptoribus hoc mirum sit reticeri. Nequaquam tamen exiguum esse illum dierum numerum, ex Scholiasta ad Euripidis Hecubam videmus, qui eas per multos dies esse celebratas dicit; neque alio modo se res habere potest, si, quot quantaque sollemnia Panathenaeis agi consultum fuerit, perpenderis. Etiam Aristides rhetor, ut Panathenaicae orationis suae longitudinem excuset, de gravitate argumenti querens, comparat Minervae ferias, quas et ipsas non uno absolvi die ait, sed multitudinem dierum decoris et magnificentiae causa adjungi; gymnicosque ludos et magis etiam musicos, per plurimos dies continuari. [98]) Denique supra jam vidimus, omnium, quas Athenienses agitabant, feriarum Panathenaea maximas appellari; ac si ad dierum quoque id numerum referre licet, Eleusiniis inter ceteras ferias diutissime, ab XV^to usque ad XXIII^tiam diem, per novem igitur dies durantibus, Panathenaea aliquot diebus longiores statuere posse videmus. Ita fit, ut Panathenaea attingant fere Synoecia, quae XVI^to Hecatombaeonis die agitarentur. Jam vero quum viderimus, quanta inter utraque affinitas intercedat—

eidem quoque Deae erant dicata Thuc. II. 15 — arridentius nihil conjectura esse potest, eas ferias duas in unas esse conjungendas, aut Synoecia certe Panathenaeorum praenuntium quasi et praeparationem habendam. [99]) Quomodo si Synoeciis illam a Theseo factam in unam gentem consociationem sollemnibus prosecuti sint, Panathenaeis Minervae popularis patriaeque deae memoriam agi celebrarique cogitandum sit. Nec parum huic sententiae ille Demosthenicae in Timocratem orationis locus favet, in quo jam undecimo mensis die confectos esse quoslibet feriis et iisdem minoribus necessarios apparatus neque quicquam eorum reliquum fuisse dicit; atque illud quoque optime quadrat, si XVI^tus dies initium sit, a plenilunio Minervae ferias incipere, quippe quum ad lunam ejus relationem esse quandam constet. [100]) Verum si Thucydides VI. 56 ipse unum tantum Panathenaeorum diem festum statuere videatur, revera solus sanctissimus feriarum idemque ultimus dies hoc loco significatur; et inde explicandum quoque est, cur alii scriptores in hunc solum diem ferias apposuerint. [101]) Nec mireris tamen spatii diuturnitatem, per ipsos duodecim dies, si Synoeciorum diem subtrahis, extensam. [102]) Nam Hecatombaeone mense operis rustici nihil fere faciendum

fuit, frugum messi jam praecedenti mensi peracta et vindemiis sequenti demum Metagitnione colligi incipientibus.[103]) Itaque ut piis se considerationibus deorumque dederent cultui, jam sponte otio adducebantur nec exigua ea causa fuisse videtur, cur veneratissimae deae hoc ipso mense dies festas agitarent.

IV. Quo ordine singulae se sollemnitates exceperint et quod inter majora et minora Panathenaea discrimen fuerit.

Panathenaea sollemnium caerimoniarumque multitudine et varietate excellunt. Nam quum in ceteris majoribus Graecorum ludis sola gymnica plerumque aut sola musica certamina admitterentur, in illis utraque conjuncta fuerunt [104]) et his accessit sollemnis illa cum maximo sacrificio connexa in arcem pompa. Ad has tres vero partes harum feriarum omnes ritus revocari possunt.

Jam supra [105]) vidimus pompam sacrificiumque feriarum esse finem [106]); ac quum inde gradationem quandam in sollemnibus et a parvis ad graviora progressum animadvertere licet, gymnicos ludos ut corporis exercitationes antecedere musicis ut animi repraesentationibus statuendum erit.

Quicum etiam Plato consentit qui in Menex. 249b eadem eos ordine recenset, Atticam dicens patriam *ἀγῶνας γυμνικοὺς καὶ ἱππικοὺς τιθέναι καὶ μουσικῆς πάσης*, atque Thucydides III, 104 in Delo insula antiquitus ludos et gymnicos et musicos esse actos tradens. [107] Denique Aristides in loco supra [108] exscripto, in quo de Panathenaeis loquitur, bis gymnico agonem musicum praemittit. [109]

Lampadedromiam vero circa finem sollemnitatis cadere puto. Nam ceteroqui etiam cum gymnicis ludis haud quaquam, ne in inscriptionibus quidem, conjuncta invenitur, et ab illis separate ut in Prometheis et Vulcanalibus, agitata esse videtur. Deinde vero sub novae lunae potius tempus, quam sub plenilunium aptius est ut collocetur. Et quum in singulis ritibus gradationem animadvertere videremur, quid denique majorem feriarum fini dare splendorem ornamentumque potuerit, quam ipsa lampadedromia.

Itaque, modo Aristidem ludum musicum gymnico dicere longius extendi memineris, haud magno opere a vero aberrare nobis videmur, quum gymnicos equestresque ludos per III vel IV dies statuimus, musicos per VII vel VI duravisse, undecimo autem die apparitiones ad pompam neces-

sarias factas et vesperâ lampadedromiam actam duodecimo denique et ultimo sive mensis XXVIII^va^ die sollemnem pompam in arcem ductam ac maximum esse factum sacrificium. Aut si in ultimam diem lampadedromiam constituere vis, nihil impedio.

Quum vero, quibus rebus majora et minora Panathenaea inter se differant, quaeris, certissimum illud quidem est et omnium scriptorum testimonio probatum, peplum in sollemni illa pompa solis majoribus Panathenaeis esse deductum. [110])

Difficillima autem de ludis gymnicis inquisitio est. Nam Auctor Argum. Demosth. contra Mediam, licet infidus alias et incertus sit, tradit: *ἐν μὲν οὖν τοῖς μεγάλοις γυμνάσιά τινα* (quam suspense dictum!) *ἐγίνοντο* atque Suidas s. v. *Παναθήναια* diserte dicit *τὸν ἀγῶνα διὰ πέντε ἐτῶν ἄγεσθαι* h. e. *διὰ πενταετηρίδος*, quinque aut si accuratius loquaris, quatuor annorum spatio interjecto, ergo solis majoribus Panathenaeis. Sed quamvis Anonymi fides labefactari et apud Suidae vocem *ἀγῶνα* suppleri *τῶν μεγάλων Παναθηναίων* possit, tenemur tamen aliis adhuc argumentis. Nam Herodes Atticus, teste Philostrato II, 5, quum quondam Panathenaeis liturgia functus coronatus esset, se Athenienses — proximis ludis, nam id

supplendum videtur — in stadio e marmore exstructo esse excepturum pollicitus est; deinde ipso quadriennii spatio stadium confecit. Sed quod maximum est, Panathenaeorum pentaeteris ut vidimus ex Olympicorum ludorum similitudine instituta atque amplior gymnicorum certaminum ratio introducta esse videtur, ex quo hos gymnicos ludos post quodvis quadriennium demum, ut Olympiae, rediisse concludi potest. — Contra vero Hesychius Panathenaea definit: *ἡ τῶν Ἀθηναίων ἑορτὴ καὶ ἀγων*, et ab aliis quoque (Pausan. Arcad. Aristid. Panath. l. c.) Panathenaea generatim (non sola magna) ludi esse explicantur. Deinde Aristide teste Panath. 329[c] Canter. gymnici ludi antiquissima adeo eorum pars juxta sacrificium fuisse et hanc ob rem antiquioribus certe temporibus quotannis editi videntur. Denique decem Atheothetae qui etiam gymnicos ludos administrabant, in quatuor annos ergo non solum majorum Panathenaeorum, sed etiam minorum gratia eliguntur, teste Polluce VIII. 9 segm. 93. [111])

Utut vero se res habet, majores feriae et in omnibus rebus et in gymnicis ludis certe magnificentiores minoribus fuerunt; ac si quid sollemnium in Panathenaeis actum esse generatim a scriptoribus mentio fit, id ad majores certe referendum

est, quoniam nihil, quod in minoribus ageretur, defuisse in majoribus cogitari potest. Nihilominus minora Panathenaea haud nimis parva sunt animo concipienda; sed et ipsa suo splendore et apparatu non caruerunt. Ex Timocrateae loco illo, saepius allato, unde ea per idem tempus ac majora duravisse videbamus, et Epicratis psephismate apparet ad minora quoque apparatus haud exiguos esse factos. Diserte autem minorum cyclicus chorus atque Pyrrichistorum apud Lysiam *Ἀπολ. δωρον.* ab init. memoratur. Ac licet pompae illius, et pepli deductio et hecatombae immolatio majorum propria fuerit, tamen minoribus nec pompa quaedam, quamvas minus splendida et peplus ad Piraeum ductus nec sacrificium defuit, quo solo sollemnitas ad finem perduci et tanquam signari videbatur.

De scriptoribus, qui de Panathenaeis egerunt.

Nullum de Panathenaeis proprie scriptum opus restat, id quod vehementer dolendum est, quum nunc feriarum descriptio tantum ex sexcentis locis magna cum molestia et eadem ne integra quidem congeri possit.

At scripsit antiquo tempore Dicaearchus de Panathenaeis, quum apud Schol. Aristoph. Vesp. 542. ejus Παναθηναϊκοὶ afferatur, quem Naekius probavit solam partem esse majoris ab eodem Dicaearcho scripti operis, cui titulus est: Βίος Ἑλλάδος; qui quum majorem ambitum haberet, atque omnem Graecae vitae morem consuetudinemque ideoque etiam omnia, quae ad rem theatralem pertineant atque agonisticam, contineret, pleraque didascalici, musici, agonistici argumenti fragmenta Dicaearchi nomine citata ad illam Vitam pertinere, singulares autem qui inveniantur titulos Ὀλυμπικὸς, Παναθηναϊκὸς amplioris operis sola membra esse seu particulas. Quamobrem in titulis: Παναθηναϊκοὶ etc. non λόγος, ut olim solebant, sed ἀγὼν supplendum est, quum ad eum fortasse totius operis librum, qui περὶ ἀγώνων ageret, [112]) pertinerent. Cf. A. Buttmann Quaestiones de Dicaearcho etc. 1832. pag. 2. et Zimmermanni Ephemeridas Scholasticas Generales 1834. II. Nro. 138. p. 1103 - 4.

Alius de Panathenaeis scriptor Plutarchus est, a quo ipso in libro de Musica citatur sua ἡ τῶν Παναθηναίων γραφὴ ἡ περὶ μουσικοῦ ἀγῶνος.

Aristotelis quoque nomine memoratur scriptum, cui Πέπλος nomen est, quod huic tamen abdicendum videtur, quum a Diogene Laertio inter Aristo-

telis scripta non recenseatur et a Tzetze auctor Pepli a philosopho discernatur. [113]) Sed hoc opus, quod collectionem epigrammatum seu epitaphiorum in heroas Homericos continet, de Panathenaeis nil exponere videtur atque titulum inde tantum accepisse, quod in Panathenaico peplo Minervae et heroum ipsi dilectorum res gestae et virorum de patria bene meritorum nomina intexta erant.

Praeterea scriptores, qui de feriis et ludis scripserint, [114]) Panathenaea quoque tractaverint necesse est, ut Callimachus in libro *περὶ ἀγώνων* (Harpocrat. s. v. *Ἄκτια*), Philochorus *περὶ ἑορτῶν* (ibid. in *Ἀλῶα*), *περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἀγώνων βιβλία ζ′* (Suid. s. v. *Φιλόχορος*), Eysimachides *περί τε ἑορτῶν καὶ μηνῶν Ἀθήνησιν* (Harpocrat. s. v. *Σκίρον*) et alii; deinde etiam ii, qui Atthides aut *περὶ Ἀθηνῶν* ut Menecles aut Callistratus (cf. Harpocrat. s. v. *Ἑκατόμπεδον*) scripsere, aliique.

Mihi autem et omnibus, qui rerum sacrarum Atticarum studiosi sunt, perdolendum est, periisse Lycurgi *περὶ Ἱερείας* orationem, ex qua plurima, quibus Panathenaeorum sollemnia explicentur, ab Harpocratione allata inveniamus.

Recentiori tempore de Panathenaeis scripsit Meursius (repetit. in Gronovii thes. vol. VI), quem Barthelemy in Anacharsi suo secutus est.

Notae.

1) Aristoph. Plut. 538 seq. ὦ πολιοῦχε Παλλὰς, ὦ τῆς ἱερωτάτης ἁπασῶν πολέμῳ τε καὶ ποιηταῖς δυνάμει θ' ὑπερφερούσης, μηδέουσα χώρας.

2) Cf. Harpocr. et Alberti ad Hesych. s. v. Ἄγλαυρος.

3) Generatim cf. K. O. Mülleri de Minerva Poliade librum.

4) διὰ τὸ ὑπὸ πάντων ἄγεσθαι. Suid.

5) Hesych. s. v. Χαλκεῖα· ὑπομνήματα τῆς τῶν τεχνῶν εὑρέσεως. Eusth. ad Iliad. β' Ὅτι δὲ πρῶτοι Ἀθηναῖοι ἐχαλκούργησαν, δηλοῖ ὁ εἰπὼν, ὅτι χαλκεῖα, ἑορτὴ ἀρχαῖα δημοτελὴς, ὕστερον δὲ ὑπὸ μόνων ἤγετο τῶν τεχνιτῶν ἔνῃ καὶ νέᾳ Πυανεψιῶνος, ἐπείπερ Ἥφαιστος ἐν τῇ Ἀττικῇ χαλκὸν εἰργάσατο. Ceterum cf. Pollux VII. segm. 105. Et. M., Harpocrat. et Suid. s. v.

6) Phanodemus quidem apud Harpocr. l. c. has ferias dicit non Minervae sed Vulcano agitatas esse. Sed Minervam, quamquam minus cultam, certe exclusam non esse, jam ex hac solennitate apparet. Atque Suidas a quibusdam eas Ἀθήναια quoque appellari tradit. — Insuper vide Bulletino dell' Instituto di Corrispond. archeolog. di anno 1832. Roma. Lettre de Mr. Panofka à Mr. Gerhard concernant le Rapport sur les vases de Volci. pag. 68. Un grand nombre de cotylisques trouvés à Nola portent l'image de la chouette et de branches. Quae tamen vasa non ad Panathenaea pertinere contendit Panofka, sed: „On célébrait à Athènes une fête appelée Χαλκεῖα, chalcées, quelque fois même designée sous le

nom d'Athenées, à laquelle tous les dèmes prenaient part; plus tard c'étaient de préférence les ouvriers et notamment ceux, qui travaillaient dans les mines, qui se réunissaient en mémoire de leur dieu protecteur Hephaestos (Et. M. et Suid. s. v. Χάλκεια). Souvenons nous des mines de métaux qui enrichirent la ville Chalcis (Stephan Byz. v. Χάλκις), ville, qui devint ensuite la métropole de Nola: et nous comprendrons sans peine pourquoi la chouette que les Grecs appelaient Χαλκὶς, se trouve avec l'olivier de Minerve sur les vases dont la forme même rend l'image des cavernes auxquels les Chalcidiens devaient leurs richesses. Je me crois donc suffisamment autorisé à rapporter les vases en question aux fêtes Χαλκεῖα, dont l'origine se rattache à ces mêmes cavernes.

7) Solus Fons est Suidas s. v. Προχαριστήρια. ἡμέρα, ἐν ᾗ οἱ ἐν τῇ ἀρχῇ πάντες, ἀρχομένων καρπῶν φύεσθαι, λήγοντος ἤδη τοῦ χειμῶνος, ἔθυον τῇ Ἀθηνᾷ. τῇ δὲ θυσίᾳ ὄνομα Προχαριστήρια. Λυκοῦργος ἐν τῇ περὶ τῆς ἱερωσύνης; τὴν τοίνον ἀρχαιοτάτην θυσίαν διὰ τὴν ἄνοδον τῆς θεοῦ, ὀνομαςθεῖσαν Προχ., διὰ τὴν βλάστησιν τῶν καρπῶν τῶν φυομένων. Levi permutatione pro τῇ Ἀθηνᾷ legas fortasse Ἀθήνησι. Tum hoc sacrum ad solam Proserpinam et Cererem referri posset, cui similes Προηροσίων feriae celebrabantur, quamquam praeter chthonios etiam alii agrarii dii memorantur, ut ὄμβριος Ζεῦς, φυτάλμιος Ποσειδῶν etc. cf. Meursii Graec. feriat. II, 1. et Schol. in Aristid. Panath. 196, 12. p. 340 Dind.

8) Photii lex. Καλλυντήρια καὶ Πλυντήρια, ἑορτῶν ὀνόματα· γίνονται μὲν αὗται Θαργηλιῶνος μηνὸς, εὐνάτῃ μὲν ἐπὶ δέκα Καλλ., δευτέρᾳ δὲ φθίνοντος τὰ Πλυντήρια. Plutarchus vero in Alcib. 34. vigesimo quinto Thargelionis die Plynteria acta esse tradit, quas contrarias narrationes Dodvellus ita voluit componere,

ut per plures dies illa, idque a vigesimo quinto usque ad nonum agerentur. Cui tamen sententiae Corsini fast. Att. II, pag. 365 recte opposuit Xenophontem unicum tantum diem significare videre, si Alcibiadem in Piraeum dicat appulisse die, ᾗ Πλυντήρια ἦγεν ἡ πόλις. C. O. Müller in scripto Panathenaeorum minorum tempore, quod in philologico museo Camtabrigiensi 1833. Vol. II, pag. 234 invenitur, in aliam viam abit dicens: „Potest in dissensu Plutarchi et Photii utriusque auctoritate tantum detrahi, ut id solenne vigesimo primo vel secundo Thargelionis die ponatur, id est, tertio post Bendidea, undevigesimo vel vigesimo die acta.

9) Ita Et. M. Καλλυντήρια καὶ Πλυντήρια ἑορταὶ β' Ἀθήνησι.

10) Phot. l. c. Τὰ Καλλυντήρια, ὅτι πρώτη δοκεῖ ἡ Ἄγλαυρος γενομένη ἱερεία τοὺς θεοὺς (potius solam Minervam intellige) κοσμῆσαι, δι' ὃ καὶ Καλλυντήρια αὐτῇ ἀπέδειξαν· καὶ γὰρ το κοσμεῖν καὶ λαμπρύνειν ἐστιν. Cf. Hesych. s. v. Καλλυντήρια et καλλύνεσθαι.

11) Plut. Alcib. 34. Xenoph. Hellen. 1, 4, 12.

12) Haec forma semper fere apud antiquiores scriptores, Herodot. Eurip. etc. invenitur. cf. Heyne ad Apollod. p. 323.

13) Ad hanc aestatis lucisque deam pertinere videtur, quod Paus. I, 26 tradit, ante Poliadis Minervae statuam fuisse lucernam cum ellychnio ex Carpasino lino effecto, in quam semel quotannis oleum infunderetur et quae die noctuque arderet.

14) Ut per Minervam quoque jurabatur cf. Athen. 6, 7. et Libanium Tom. IV, pag. 67, 21 Reiske.

15) Cf. Hermanni Graec. antiq. public. §. 123, 7. Ulpian. ad Demosth. pro falsa legat. pag. 391. Wolf Philostr. Apoll. vitam IV, 7. Polluc. VIII, 9. 105.

16) Cf. Leake Topogr. Attic. p. 196 etc. et 421. vers. Germanicae Polyaen. I, in Phisistrato.

17) Et. M. Ἐρεχθεὺς· — ὁ αυτοὶ δὲ λέγεται καὶ Ἐριχθόνιος. Syncell. p. 175 (125) οὗτος Ἐριχθόνιος Ἡφαίστου, ὁ παρ̕ Ὁμήρῳ Ἐρεχθεύς ἐστι.

18) Apollod. III. 14, 6. Hyginus in Poetico Astronom. Paus. I, 17. Ovid. Met. II. 553. Lactant. I, 17. Antigonus Caryst. Hist. Mirab. 12. Fulgent. Myth. II. Apud Carystium et Athenagoram in oratione pro Christianis Aglauros et Pandrosus nominantur.

19) Ejus Frater est Butes, h. e. bubulcus, agricola, a βοῦς derivandus, cujus posteri sunt Eteobutadae, a qua gente Poliadis Minervae et Erechthei Neptuni sacerdos eligebatur. Cf. Müller Min. Poliad.

20) Et. M. s. v. Ἐρεχθεὺς. Herod. 8, 41. Plut. Themistocl. 10. Hesych. in Οἴκουρον ὄφιν. Suid. et Et. M. in Δράκαυλος.

21) Quam ob rem tam saepe auri et thesaurorum custodes esse referuntur. Cf. Philostr. Imag. II, 17.

21*) Cf. Schol. in Aristid. Panath. 107, 6. pag. 62. Dindorf. πάρεδρον τῆς θεοῦ φησὶ τὸν Ἐρεχθέα· ἐπειδὴ ἐν τῇ ἀκροπόλει ὀπίσω αὐτῆς γέγραπται ἅρμα ἐλαύνων, ὡς πρώτης τοῦτο τῆς θεοῦ δεξάμενος, ἐπειδὴ τρόπον τινὰ υἱὸς αὐτῆς ἐδόκει· διώκων γὰρ αὐτὴν Ἥφειστος ἀπεσπερμάτισεν. —

22) Apollod. l. c.

23) Quam tamen alii virginem mansisse, ut Minervam ferunt. Apollod. III, 14. 5.

24) Pausan. 1. 2. fine.

25) Tzetzes Chiliad. V, 19. Ὁ Ἐριχθόνιος δ' — — βασιλεύει, Ἡφαίστου παῖς καὶ Ἀθηνᾶς τῆς Κραναοῦ ὑπάρχων; atque in Comm. ad Lycophr. Ἀθηνᾷ τινὶ βασιλίδι, τῇ καὶ Βελονίκῃ (quod et ipsum epithetum Minervae est) λεγομένῃ, θυγατρὶ δε Βρυν-

τέου ὑπαρχούσῃ Ἥφαιστος, γάμῳ μιγεὶς, γεννᾷ Ἐριχθόνιον ὃς ἐβασίλευσεν Ἀττικῆς. Ex quibus locis sane antiquior mythi forma apertissime elucet.

26) Cf. Iliad. β', 547. Odss. η', 81.

27) Photius l. c. διὰ τὸν θάνατον τῆς Ἀγραύλου ἐντὸς ἐνιαυτοῦ μὴ πλυνθῆναις ἐςθῆτας.

28) Περι σχοινίσαι τὰ ἱερὰ καὶ παραφράξαι. Pollux VIII, 12 sect. 141; quo loco idem aliis diebus nefastis fieri et forum quoque dicit cingi funibus solere, si arcana et mystica judicarentur, ne quis adiret inauspicatus. Cf. ibid. sect. 123.

29) Hesych. Πραξιεργίδαι, οἱ τὸ ἕδος τὸ ἀρχαῖον τῆς Ἀθηνᾶς ἀμφιεννύντες. Idque omnium Palladis signorum sacerrimum fuisse tradit Paus. I, 26. Cf. Schol. Aristid. Panath. 187, 20. pag. 320 Dindorf.

30) Hesych. l. c. Jam nomine pronuntiatur, iis sacrorum faciendorum munus esse. Nam ἔρδω (ἔργω, ῥέζω, idem verbum est) σημαίνει καὶ τὸ τελῶ καὶ θύω (Etym. M.) ab eademque voce proficiscuntur ὄργια quae agebant Praxiergidae; quam etymologiam eandem indicasse videtur Plut. Alcib. 34. δρῶσι δὲ ὄργια Πραξιεργίδαι Plynteriis. Conferas simile nomen Πραξιθέαν Erichthonii et Erechthei apud Apollod. 3, 14, 6. et 3, 15, 1. uxorem, atque Πραξιδίκην, Ogygis filiam atque Alalkomeniae et Thelxiniae sororem, quae et ipsae Minervae virtutes quasdam repraesentare videntur. Cf. Suidas et Hesych. s. v. Πραξιδίκη.

31) Cf. Xenoph. Hell. et Plut. Alcib. ll. cc.

32) Πλύνειν. Statuae etiam vestes ablutas esse conjicere licet ex Phot. l. c. τὰ μὲν Πλυντήρια φησί, διὰ τὸν θάνατον τῆς Ἀγραύλου ἐντὸς ἐνιαυτοῦ μὴ πλυνθῆναι ἐσθῆτας (scil. statuae Minervae), εἶθ' οὕτω πλυνθεῖσας, τὴν ὀνομασίαν λαβεῖν

ταύτην. De similibus ritibus, qui Argis ab Acestoridis observabantur, conf. Rückert, der Dienst der Athena, pag. 121, qui liber omnino etiam de ceteris Minervae sollennitatibus haud spernenda afferens comparandus est.

33) Sacerdos illa, quoniam, ζόανον, ejus curae demandatum, pompa ducebatur; Praxiergidae autem, quod hujus diei proprii sacerdotes erant.

34) Ad Plynteria enim certo referri potest, quod Suidas habet s. v. Οἱ νομοφύλακες στροφίοις λευκοῖς ἐχρῶντο . . . . καὶ τῇ Παλλάδι τὴν πομπὴν ἐκόσμουν, ὅτε κομίζοντο τὸ ξόανον ἐπὶ τὴν θάλασσαν; id quod repetit Pollux VIII, 9. segm. 94. Nomophylaces autem, quibus legum antiquarum conservandarum munus erat, pompam comitati sunt, quia Minervae etiam reipublicae recte instituendae praeerat. Cf. Scholia ad Aristid. Panath. 103, 16. pag. 47. Dindorf. (πρυτανεῖον ἦν τόπος τῆς Ἀθηνᾶς.) Atque albis fasciis ornati sunt, quia albus color deae sacer fuit; ut infra videbimus.

35) Suidas s. v. ἀπολυμαίνεσθαι. φύσει δὲ τὸ ὕδωρ τῆς θαλάσσης καθαρτικόν. ὅτι καὶ τὰ περιττώμενα (excrementa) εἰς τὴν ἀπέριττοι (quod sordibus caret) θάλατταν βάλλομεν. Cf. eundem s. v. περίψημα. Euripides fragm. legitur in Etym. M. s. v. ἀπολυμαίνεσθαι.

36) Eusth. ad Odss. α' ἐλέγετο δέ, φασι, καὶ ἡγητορία παλάδητις, ἡ πρώτη πεμπομένη ἐν ταῖς πομπαῖς. — Hesych. s. v. ἡγητηρία ἐν γὰρ τῇ ἑορτῇ Πλυντηρίων φέρουσι παλάθην συγκειμένην, ἐξ ἰσχάδων, διὰ τὸ τοὺς αὐτοχθόνας ἥμερον καρπὸν πρῶτον φαγεῖν τῶν σύκων.

37) Eusth. ad Odss. ω'. ἡγεμὼν δὲ φησι καθαρίου βίου τοῖς ἀνθρώποις ἡ συκῆ, δι' ὃ Ἀθήνησιν ὁ τόπος, ἐν ᾧ πρῶτον εὑρέθη, Ἱερὰ Συκῆ ἐκλήθη

καὶ ὁ καρπὸς αὐτῆς ἡγητορία διὰ τὸ προευρεθῆναι τῆς ἡμέρου τροφῆς.

38) Hoc modo intelligo, quod Hesych. dicit, s. v. *Πλυντήρια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἣν ἐπὶ τῇ Ἀγραύλῳ τῇ Κέκροπος θυγατρὶ ἄγουσιν.* Nam soli Agraulo hunc diem festum dedicatum fuisse, et nostra expositione e ipsius Hesych. verbis s. v. *Πραξιεργίδαι* repugnatur; sed participem eam magno opere fuisse ipse intelliges.

39) Athenag. orat. pro Christ. 15. *Καὶ Ἀγραύλῳ Ἀθηναῖοι καὶ τελετὰς καὶ μυστήρια ἄγουσι καὶ Πανδρόσῳ* (cf. Annot. 18, 3.) *αἳ ἐνομίσθησαν ἀσεβεῖν, ἀνοίξασαι τὴν λάρνακα.* Plut. Alcib. l. c. *δρῶσι ὄργια Πραξιεργίδαι.* Cf. Corsini Fast. Attic. II, p. 297. et locos ibi citatos. Tempus Agrauliorum probabiliter in Boedromionem, Cypriorum Aphrodisio mensi respondentem, imponat. Curabant haec sacra Agraulidae. (Aglauridae cf. Hesych. s. v. *Ἀγλαυρίδαι.*)

40) Porphyrius de Abstinentia libr. II, cf. Theodor. Therapeut. libr. VII. Postea quidem Diomedi id sacrificium immolatum esse dicitur; erat autem *ὑφ᾽ ἕνα περίβολον ὅ τε τῆς Ἀθηνᾶς νεὼς καὶ ὁ τῆς Ἀγραύλου καὶ Διομήδους.*

41) Schol. Aristophan. Lys. 440. *Ἐκ τῆς Πανδρόσου δὲ καὶ ἡ Ἀθηνᾶ Πάνδροσος καλεῖται.*

42) Cf. Corsin. Fast. Attic. II, p. 362, et lexicographos. Tempus diei accurate quidem constitui non potest; sed propter deae naturam fieri non potest, quin in aestatis initium incidat, fortasse inter Plynteria et Arrephoria.

43) Hoc etiam sacri nomen esse jam ex mensis nomine conjici potest. Invenitur vero etiam apud Suidam in *Διὸς κῴδιον.* Plerumque *τὰ Σκίρα* h. e. umbellae nominantur. Etiam Nomen *Σκίρωσις (ἱεροποιΐα τις)* apud Strabonem invenitur.

44) Schol. Aristoph. Eccles. 18. Plutarch. de Geor. Athen. Harpocr. s. v. Σκίρον.

45) Ab omnibus scriptoribus una tantum umbella memoratur; nec obstat, festum diem τὰ Σκίρα appellari; solebant enim Graeci in festis diebus appellandis plurali uti numero. — Ut supra vidimus, Minervae et Neptuni sacerdotes illi ex gente Eteobutadorum fuerunt; atque κομίζουσι τοῦτο (τὸ σκίρον) Ἐτεοβουτάδαι, inquit Schol. Arist. Eccl. 18. Cf. Corsin. Fast. Att. II, 370. ergo non Solis sacerdos; quanquam alia ejusdem scholii mentione solum Neptuni sacerdotem id tulisse traditur.

46) Album vero colorem Minervae sacrum fuisse jam supra vidimus. Cf. Annot. 34.

47) Cf. Schol. Arist. Vesp. 921. λέγεται καὶ γῆ σκιῤῥας, λευκή τις ὡς γύψος, καὶ Ἀθηνᾶ Σκιῤῥάς, ὅτι λευκῇ Χρίεται. — Idem apud Suid. s. v. σκίῤῥα. De loco Sciro cf. Paus. 1, 36. — Plutarch. Solon 9 mentionem facit promontorii Sciradii, huic loco propinqui et e regione Salamines insulae siti. Arcadicus etiam locus Scirus fuit. Eadem radit in Scironiis montibus est.

48) Σκίρον enim, contractum ex σκιερὸς s. σκιαρὸς, σκιάδιόν ἐστι. Σκίρος cognatum est verbis σκίῤῥος (firmus et gipsus) σκειρύω, χέρσος etc. Praeter locos jam prolatos conf. Harpocr. s. v. Σκίρα. Suid. s. v. Διὸς κώδιον, quo usos esse dicit etiam eos, qui Scirrophoriorum pompam adornabant. — Optime etiam huic jocosae Scirorum vi consentiunt, quae Pollux IX, 6. segm. 96 tradit, Athenienses ἐπὶ Σκίρῳ ἐν τῇ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερῷ κυβεύειν esse solitos, et hanc ob rem τὰ κυβευτήρια appellari Σκιράφεια. Attamen haec ad Sciradis templum, quod in Piraeo esset, referenda censeo. Nam apud idem, teste Steph. Byzant. s. v. Σκίρος, etiam meretrices habitant.

Quo autem loco meretrices majorem quaestum facere, aut plures aleatores grassatoresque inveniri possunt, quam in portibus? — Sed minus apte Panofka (Bullet. dell' Instit. di corrisp. arch. di Vanno 1832. in litteris jam citatis pag. 73.) Minervae antistitam, Neptuni et Solis sacerdotes, quos in Scirorum pompa videbamus, comparat cum tribus illis figuris in vasis antiquis saepius repertis, quarum media Minerva est, uterque alter aleonem (Palamedem et Thersitem) repraesentare videtur.

49) Nam, Etym. Magn. teste, Buphonia quarto decimo Scirophorionis die celebrabantur, quas ferias Suidas ait ἄγεσθαι μετὰ τὰ Μυστήρια. Ea mysteria quia ad Arrephoria tantum referri possunt — nam nullus alius dies festus antei hoc mense, quam Scira, in quibus nihil est arcani — quum Scira XII. die agerentur atque laetiorem Scirorum festum ab tristioribus Arrephoriis, quemadmodum Callynteria a Plynteriis, excipi jam supra diximus verisimile esse, in alium nullum Arrephoria, quam in XIII. mensis diem incidere nequeunt.

50) Etiam Ἀῤῥιφορια et Ἐῤῥιφορια dicitur. Schol. Aristoph. Lys. 643. Et. M. s. v. Ἀῤῥ.

51) Cf. Et. M. M., Harp., Suid., Aristoph. Lys. 643 et 44.

52) Cf. Suidas, Et. M., Schol. Arist. Lys. l. c. τῇ γὰρ ἕρσῃ πομπεύουσι, τῇ κέκροπος θυγατρὶ, ὡς ἱστορεῖ Ἴστρος.

53) Ab ἕρσῃ enim festi nomen derivandum est. ἕρσαι sunt quidem, teste Etymologo, juniores rami αἱ ἐν ἔαρι γεννηθεῖσαι, ἢ αἱ ἁπαλαὶ καὶ τελείως νέαι, μεταφορικῶς, ὡς Ἀριστόνικος ἐν σημείοις, utque Aeschylus Agam. 131. leones catulos δρόσους et Homerus Odss. 9, 222. agnos modo natos ἕρσας apellat. Sed errat E. Rückert in libro: Der Dienst der Athena pag. 11 Note 9; qui ab his ramis parvulis vernisque festi nomen ducit. Neque enim veris

solennitas est efflorescentisque naturae, sed ros est, de quo res agitur. Nos vero ab recto non abesse jam inde cernitur, quod ante lucem illae canistrae non ob aliam causam in hortos portari potuerunt, quam ut acciperetur (cf. etiam C. O. Mülleri Minervam Poliad. p. 15). — Idem in canistra auspicatur Mercuri — Myrtili aut potius Erichthonii sigillum (ad Erichthonii mythum alludens) infuisse; quae tamen opinio eo refutatur, quod Paus. et Schol. Aristoph. Lys. ll. cc. non de una, sed pluribus canistris vel cistis loquuntur.

54) Cf. Corsin. Fasti Hellen. I, 2.

55) Cf. Schol. Aristoph. Nubb. 385. τὰ Παναθήναια . . . . πασῶν τῶν ἐν Ἀθήναις τελουμένων ἑορτῶν ἡ μεγίστη. Atque ipse poeta dicit in Pace 420. Καὶ σοὶ τὰ μεγάλ' ἡμεῖς Παναθήναια ἄξομεν, i. e. hoc loco praeclara et magnificentia, ut Schol. recte explicavit his verbis: οὐχ ὡς καὶ τῶν μικρῶν ὄντων τοῦτο φησὶν, ἀλλ' αὔξων τὴν χάριν.

56) Athen. Deipnos. V, p. 187[d].

57) Aristid. I. Panathen. p. 333, canter. μόνοι δὲ τῶν Ἑλλήνων κατ' ἕκαστον ἔτος ποιεῖτε (Ἀθηναῖοι) πανήγυριν οὐδεμιᾶς πενταετηρῖδος φαυλοτέραν, καὶ δέχεσθε τῷ Ἐλευσινίῳ πλείους ἢ ἕτεροι τῇ πάσῃ πόλει. Καὶ πάντες ἐρίζουσιν ἀεὶ τὴν παροῦσαν ἑορτὴν νικᾶν πολυανθρωπίᾳ. Atque athleta in inscriptione quadam (cf. Boeckh. Corp. Inscr. № 1715) post magnos quatuor ludos statim eas victorias, quas in Panathenaeis reportavit, enarrat ante ceteras.

58) Cf. Harpocrat. s. v. Νεμέας Χαράδρα et Athen. XIII, 587[c] quanquam invenimus Nemeadem apud Athen. l. c., Isthmiam ibidem p. 595 f. et 587[e] atque Pythionicam, notam illam Harpali amatam. Cf. Athen. VIII, cap. 13. XIII, cap. 67 etc. Panathenaei autem alicujus nomen invenitur ap. Photium in biblioth. cod. 163, §. 3.

59) Cf. Suidas s. v. Ἀθηνᾶς ἄγαλμα, Etymol. Magn. s. v. Ἀθηνᾶ.

60) Vide Athen. III, 98[b]. Conf. Suid. s. v. Τριτογένης ἢ ὅτι παρὰ τρίτωνι τῷ ποταμῷ Λιβύης ἐγεννήθη, φθίνοντος (aut potius, ut Alberti bene conjecit ἢ ὅτι τρίτῃ φθίνοντος) ὡς καὶ Ἀθηναῖοι ἄγουσιν h. e. si ullius alius mensis, certe Hecatombaeonis die XXVIII[va] Conf. etiam Müllerum in Museo Cantabrigiensi l. jam cit., Schol. ad Homer. Iliad. VIII, 39. afferens. Τριτογένεια, ὅτι τρίτῃ φθίνοντος ἐτέχθη. — Conf. Annot. 100.

61) Corsini Fast. Att. I, vol. 2, pag. 400. Heyne ad Virgil. Georg. II, 305.

62) Plut. de Isid. 25. Lycophr. Cassandr. 206. Aeschyl. fragm. 101. Corsin. I, 2. p. 410.

63) Plutarch. Quaest. Graec. 9. Boeckh. Corp. Inscript. pag. 814. Corsin. ibid. pag. 437.

64) Dianae cultus ex Arcadia et Elide Corcyram venisse videtur. Cf. Wachsmuth, Hellenische Alterthumskunde II, 2. pag. 201. Mülleri Dorienses I, p. 375. Paus. V, 14. 5. Schol. Tind. N. 1, 3. Ol. 5, 10.

65) Nam Corsinium in Fast. Attic. Vol. I. Dissert. II, cap. 22. vix credo refutari non posse.

66) Est enim Atheniensium πολιοῦχος sive πολιὰς θεὸς, et conferendus Aristoph. in Avibus v. s. 826 etc. Εὖ τίς δαὶ θεὸς πολιοῦχος ἔσται; τῷ ξανοῦμεν τὸν πέπλον (sc. Panathenaicum) Πεισθ. τί δ' οὐκ Ἀθηναίαν ἐῶμεν πολιάδα.

67) Hanc ob rem Themistocles, quum Magnesiae satrapa persicus esset, in patriae urbis honorem Panathenaea et Lenaea instituit. Athen. XII. p. 533[a].

68) Πάντων Ἀθηναίων συνιόντων ἐκεῖσε καὶ τῶν ἑλλήνων. Schol. Eurip. Hecub. Ideo Panathenaea pertinent

ad eum sacrorum numerum, quae *δημοτελῆ* appellantur. Cf. Harp. s. hac. v. — Etiam inter *ἱερομηνία* recensentur. Cf. Aristidis Orat. III, 13. pag. 448 ibique Wernsdorfium. Quae quamvis Harpocration s. hac voce *τὰς ἑορτώδεις ἡμέρας* vocari tradat, tamen arctius definienda censeo. Nam ut *τριτομηνὶς* mensis tertius dies atque festus appellatur, *ἱερομηνια* mensis sunt propriae feriae, et eae quidem, de quorum momine ipsi menses dicti sunt; atque eodem modo quo menses Boedromion, Pyanepsion, Scirophorion, Targelion, Antestherion etc. a feriis eodem nomine dicti sunt, ita Hecatombaeon mensis a solenni hecatombe, quae Panathenaeis immolabatur (cf. infra) nomen duxit. Discernendum autem est *ἐπιμήνιον*, quod sacrum Calendis cujusvis mensis *ὑπὲρ τοῦ ὅλου μηνὸς* fiebat. Harpocr. et Hesych. s. v.

69) Polluc. Onomast. I, 1. segm. 37.

70) Pollux VI, 37. segm. 163.

71) Tom. I, pag. 329 Cant.

72) Apollod. III, 14. 6. Suid. et Harpocr. s. v. *Παναθήναια.* *ἤγαγε δὲ τὴν ἑορτὴν ὁ Ἐριχθόνιος, ὁ Ἡφαίστου, καθάφησιν Ἑλλάνικος τε καὶ Ἀνδροτίων, ἑκάτερος ἐν πρώτῃ Ἀτθίδος.* In Oxoniensi Marmore Epoch. 10. Ein. 18 id 730 ante Olympiadas annis (ante Christ. 1486) factum esse legi potest.

73) Cf. Pausan. 7, 17, 7.

74) Pausan. Arcad. Plut. Thes. Suid. s. v. *Παναθήναια.* Ister. Atticorum libr. III. *Παναθήναια δια τὴν τῶν πάντων τῆς Ἀττικῆς οικητόρων εἰς ἓν Ἀθηνῶν ἄστυ συνοίκισιν.*

75) Lib. II, 15.

76) Theseus etiam Isthmicos ludos instituisse dicitur. Nam inventor artificiosioris gymnastices est, et cum Hercule et Mercurio ut *ἐναγώνιος θεὸς* colitur. Paus. 4, 32, 1. I, 39, 3.

77) Cf. vs. 159—164.
αὖτις δ' αὖ Λητώ τε καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν
μνησάμεναι, ἀνδρῶν τε παλαιῶν ἠδὲ γυναικῶν
ὕμνον ἀείδουσιν, θέλγουσι δὲ φῦλ' ἀνθρώπων.
πάντων δ' ἀνθρώπων φωνὰς καὶ κρεμβαλιαστὺν
μιμεῖσθ' ἴσασιν· φαίη δέ κεν αὐτὸς ἕκαστος
φθέγγεσθ'· οὕτω σφιν καλὴ συνάρηρεν ἀοιδή.

78) Sicut proprium quoque Atticae educationis fuit, ut pueri gymnasiis, litteris et musica pari modo instituerentur. Cf. Aristotel. polit. 8, 4 et 5.

79) Thucyd. 5, 59.

80) Plut. Pericl. 13. — Platon. Respubl. init. — Cf. etiam Plut. de Musica. 8.

81) Cf. Corp. Inscript. Boeckhii Num. 246, 283, 285, quarum prima non ante septimei Severi tempus collocari potest.

82) Anonym. argum. Demosth. Midian. τὰ Παναθήναια, ἅπερ ἦν διπλᾶ, μικρά τε καὶ μεγάλα· καὶ τὰ μὲν μεγάλα κατὰ πενταετηρίδα ἐτελεῖτο, τὰ δὲ μικρὰ κατὰ τριετηρίδα. Schol. in Aristid. Panath. 159, 10. pag. 232. Dindorf. διὰ πέντε γὰρ ἐτῶν ἦγον τὰ μεγάλα Παναθήναια, διὰ τριῶν τὰ Διονύσια. Cf. Virgiliana Ciris vs. 24. (quinquennia), Suidas s. v. Παναθήναια, alii.

83) Hoc modo numerat etiam Scholiast. ad Aristoph. Equitt. 563. (διὰ τετραετηρίδος).

84) Vide inscriptionem apud Boeckh. Oecon. public. II, 165, ubi Panathenaea majora Olymp. 92, 3 et 110, 3. celebrata memorantur.

85) Conf. Proclus ad Platon. Timaeum p. 9. Videsis etiam annot. 60.

86) Eadem fere repetit in Commentarii ad Timaeum loco antea a nobis citato, quem et ipsum Müllerus protulit,

qui uberius Procli argumentum repugnans comparandus est in libro I. p. 233 et 34. Quomodo Plynteriorum diem transponendum esse vir doctissimus censeat; conferas in loco ex ejus libro nostra annot. 8. exscripto.

87) P. 702, 10. *τὸν δὴ εἰς τοιαῦτα καταστήσαντά μ' ἀδίκως, ἀδιάλλακτον ἐχθρὸν ἡγούμην.* Lin. 16. *ἦλθον ἐς αὐτὸν μετ' Εὐκτήμονος, ἡγούμενος — τιμωρίαν, ὑπὲρ ὧν ἐπεπόνθειν, λαβεῖν.*

88) Cf. Diodor. XVI. 22 et 34.

89) Argum. Anon. Timocr. *Μαύσωλος τῆς Καρίας σατράπης ἦν τὰς πέραν νήσους κακῶς ποιῶν. κατεβόων οἱ βλαπτόμενοι καὶ τοὺς Ἀθηναίους ἐπεκαλοῦντο. ἔδοξε διὰ πρέςβεων τέως αἰτιάσαςθαι τὸν κᾶρα.*

90) Cf. notam Wernsdorfii pag. 427. Videas etiam Ideler Hdb. der Chronol. I, p. 242, 246 u. 252.

91) Wernsdorf. praef. XLV.

92) Ibid. LIII.

93) Haeres. LI, c. 24. p. 446, 47. ed. Petav. Cf. etiam Boeckh. ad C. J. № 270.

94) Diod. XII, 36. *Διὸ μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων οἱ πλεῖστοι τῶν Ἑλλήνων χρωμένη τῇ ἐννεακαιδεκαετηρίδι οὐ διαψεύδονται τῆς ἀληθείας.* Cf. Colum. R. R. IX, 14. „In hac ruris disciplina sequor nunc Eudoxi et Metonis, antiquorumque fastus astrologorum, qui sunt aptati publicis sacrificiis.

95) Vs. 25. „Quum levis alterno Zephyrus concrebuit Euro.“ De anni tempore, quo hi venti flent, cf. Virgil. Georg. I, 43:

„Vere novo gelidus canis cum montibus humor
Linquitur et Zephyro putris se gleba resolvit.“

Lucret. lib. 5, v. 735. Hor. I. Epist. 7, v. 13. Apules de

mundo, p. 259. Bip. Eurus est, quando hiemali ortu portis emittitur. — Septentriones ac Zephyri tempestate veris (frequentiores sunt). Cf. Dionys. Hal. Ant. II, p. 129.

96) Simili modo Elei, Neronis adventum exspectantes, Olympia in alium annum distulerunt. Philostr. Apoll. Tyanens. 5, 7.

97) Cf. Harpocr. s. v. *τριακάς*.

98) Arristid. I, pag. 255. Stephanus. *Ἔπειτα ἐνθυμητέον καὶ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ συμβόλου τῶν λόγων, ὅτι οὐδὲ τὴν τῶν Παναθηναίων αὐτῶν ἑορτὴν ἡμῖν ἡμέρας μιᾶς ἀνάγκη μετρεῖν, ἀλλ', εἴγε καὶ τοῦτο δεῖ προςθεῖναι καὶ τὸ πλῆθος τῶν ἡμερῶν, κόςμου χάριν καὶ σεμνότητος ἀνεῖται. ὥστε οὐ τὸ τῶν λόγων πλῆθος ἄκαιρον ἐν τοιούτῳ τῶν λόγων καιρῷ. σύνισμεν δὲ δήπου καὶ τὸν ἄγωνα γυμνικὸν καὶ ἔτι μᾶλλον τὸν τῆς μουσικῆς, οὐκ εἰςάπαξ ὁριζόμενον, ἀλλ' ἐφ' ἑκάστῃ τελευτῶντα, ὡς εἰπεῖν, τῇ ἡμέρᾳ, καὶ πάλιν ἐξ ἀρχῆς καθιστάμενον, καὶ οὐδὲ τοῖς εἴδεσι τῶν θεαμάτων, ἐκπληρούμενον αὐθημερόν.* Jam his Aristidis verbis refellitur Scholiastes ad ejusdem Panath. 115, 19. tradens *ἐπειδὴ ἡ τῶν Παναθηναίων ἑορτὴ διὰ τεσσάρων ἡμερῶν ἐγίνετο*, et Paulo infra: *ἐπειδὴ δὲ ἡ πανήγυρις τέσσαρας κατεῖχεν*; nisi forte haec ad minora Panathenaea referenda sunt. Antiquis autem temporibus Panathenaea per solum unum diem duravisse, contendit Lakemacher in antiqq. Graecorum sacr. p. 629 sqq., ut lego apud Kreuserum in libro: Homerische Rhapsoden oder Rederiker der Alten. p. 15, annotatione 58.

99) Accedit, quod Synoecia, quippe tam levem tantulumque diem festum, temporis tractu non periisse aut plane obscurata, sed Thucydidis, immo Plutarchi (ll. cc.) aetate esse acta, concipere vix possis, nisi Panathenaeis sustentata et quasi remulco tracta essent.

100) Ut Müllerus ostendit in commentatione saepius laudata, cujusvis mensis et τρίτη φθίνοντος et τρίτη ἱσταμένου Minervae sacra fuit, quod illo die luna e conspectu evanescebat, hoc rursus conspicua novo lumine fulgebat. Praeter locos annot. 60 productos conf. Eurip. Heracl. 777. φθινὰς ἡμέρα, h. e. ipse XXVIIIvus dies, quo luna φθίνει. Hesych. s. hac voce, Bekkeri Anecdota vol. I, pag. 306, 32 et alii.

101) Contra vero omnium de initio feriarum silentium optime nostra conjectura explicatur quum eas a Synoeciis incipere constaret.— Locus Thucydideus hic est: περιέμενον δὲ Παναθήναια τὰ μέγαλα, ἐν ῇ μόνον ἡμέρᾳ οὐχ ὕποπτον ἐγίγνετο, ἐν ὅπλοις τῶν πολιτῶν τοὺς τὴν πομπὴν (magnis Panathenaeis propriam) πέμψαντες ἀθρόους γενέςθαι.

102) Olympici ludi, qui soli gymnici erant, sex dies, igitur dimidio brevius, quam Panathenaea duraverunt.

103) Cf. Hesiodus Erg. 384 sqq.

104) Dionys. Halic. in τέχνῃ περὶ τῶν πανηγυρικῶν. Σκοπεῖςθαι δὲ καὶ τὸν τρόπον τῆς διαθέσεως τοῦ ἀγῶνος δεῖ· εἰ μὲν μουσικὸς καὶ γυμνικὸς εἴη, ὅτι τελεώτατος ὁ ἀγὼν καὶ ἀνενδεῶς κεκραμένος, καὶ ῥώμῃ σωμάτων καὶ καλλιφωνίᾳ καὶ τοῖς λοιποῖς μέρεσι τῆς μουσικῆς.

105) Vide annot. 101.

106) Simili modo Olympiae, teste Schol. Pind. Olymp. V, 13. πέντε ἡμέραις ἤγετο τὰ ἀγωνίσματα, ἀπὸ ἑνδεκάτης μέχρις ἑκκαιδεκάτης· ἡνίκα οὖν ἐτελεῖτο τὰ ἆθλα τῶν πενθημέρων ἀγώνων, ἐγέραιρον τοὺς βωμοὺς.

107) Eodem modo quo Homerus ab Thucydide allatus: οἱ δὲ σε πυγμαχίῃ τε καὶ ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ Μνησάμενοι τέρπουσιν, ὅταν στήσωνται ἀγῶνα.

108) Vide annot. 98.

109) Cf. Plato Legg. II, 658. εἴ ποτέ τις οὕτως ἁπλῶς ἀγῶνα θείη ὁντινοῦν, μηδὲν ἀφορίσας μήτε γυμνικὸν μήθ' ἱππικὸν μήτε μουσικόν. Ac si alii loci, ut Platon. Legg. XII, p. 947e ἀγῶνα μουσικῆς αὐτοῖς καὶ γυμνικὸν ἱππικόν τε θήσουσιν (quo tamen gymnicum certe hippicumque, arcte conjunctum esse videmus) aut Polluc. 8, 9. 6. contradicere videntur, ex negligentia quadem aut alia causa verum ordinem omissum accipiendum est. Quomodo cogitari quoque possit, post chororum tibiorumque cantum et Homericorum carminum recitationes athletarum repraesentationes delectari atque hippodromias potuisse. Ac si Delphis, teste Philostr. Apollon. Tyan. VI, 10. musicus ludus ab gymnico excipiebatur, hujus rei alia causa esse videtur, quum musicis certaminibus, qui ab initio ibi sola agerentur, postea demum gymnica adjungeretur.

110) Cf. Meursii Panathen. cap. XVII.

111) Magnorum autem ἀγὼν γυμνικὸς a Demosthene de Coron. p. 265, ἱπποδρομία a Xenoph. in Sympof. 1, 2. memoratur.

112) Cf. Schol. Aristoph. Ran. 1337.

113) Cf. Eusthat. ad Iliad. β' Ἱστορεῖ δὲ ὁ αὐτὸς Πορφύριος καὶ ὅτι Ἀριστοτέλης σύγγραμμα πραγματευσαμένος, ὅπερ ἐκλήθη. — Diog. Laert. II. in Aristot. cap. 12. Tzetzes Schol. in Hesiod. Ἀριστοτέλης γὰρ, ἢ ὁ φιλόσοφος, μᾶλλον δὲ, οἶμαι, ὁ τοὺς Πέπλους συντάξας. Heyne ad Cirin. 21. Aristot. opera ed. Tauchn. Vol. XVI, pag. V. Quae apud Schol. Sophocl. Oed. Col.

693 Reisig. ex Aristotele afferantur, non ex hoc Peplo, sed ex libro de mirabil. Huscult. c. 52, pag. 189. Tauchnitz. desumpta esse videntur, quod idem fieri videmus a Schol. Aristoph. Plut. 586. Vide etiam Boeckh. Trag. Gr. princ. pag. 202.

114) *Οἱ τὰ περὶ ἑορτῶν γράψαντες.* Harpocr. s. v. *Ἀπατούρια.* Cujus generis scriptores singularem historicorum classem effecerunt.
